MVSEI SANCLEMENTIANI

NVMISMATA SELECTA

LIBER PRIMVS

MVSEI SANCLEMENTIANI

NVMISMATA SELECTA

REGVM POPVLORVM ET VRBIVM

PRAECIPVE

IMPERATORVM ROMANORVM


GRAECA AEGYPTIACA

ET COLONIARVM ILLVSTRATA

LIBRI III CVM FIGVRIS

ADDITO DE EPOCHIS

LIBRO IV



ROMAE

TYPIS VINCENTII POGGIOLI

AN. VVLG. AER. MDCCCVIII

FACTA AB IIS QVI PRAESVNT EDENDI POTESTATE

PROOEMIVM

ERVDITO LECTORI

CAusam edendi modo hosce libros de rebus Numismaticis, et Chronologicis Tibi, Erudite Lector, breviter exponere opportunum existimo. Sed praemittere oportet me in Opere nostro de Vulg. Ærae Emendatione, quod pluribus jam abhinc annis in lucem prodiit, Fastos Consulares omni monumentorum genere, atque ope quam emendatissimos, et cum annis singulis V. C. Varr. sociatos, digestosque proponere studuisse: perpetuam, continuatamque Bissextilium seriem a prima Julii Caesaris institutione a praestantissimo Fastorum Conditore Panvinio incaute perturbatam; ejusque errorem calculi in primi Bissextilis computatione admissum, atque a summis quibusque Chronologis deinceps minime animadversum, adoptatumque detexisse, et emendasse, bissextilibus om-

nibus in suam sedem, rectumque primigenium ordinem restitutis; variam Orientalium, Graecarumque Vrbium in Epochis suis computandis rationem, et cum anni sui civilis Neomenia comparandis methodum, multiplici praesertim Numismatum testimonio demonstrasse: ex quibus illud emolumenti me percepisse visus sum, ut plura Chronologiae capita meliori, quam antea in lumine collocarentur, atque aditus quoque pateret ad nodos quosdam difficillimos ad sacram Historiam spectantes certa, nitidaque ratione explicandos, solvendosque. Quod praecipue me praestitisse arbitror de praeclaris Auctoribus primi, et secundi Machabaeorum Libri, deque eorum annuo chronologico discrimine in iisdem narrandis factis, rebusque gestis; licet enim utriusque sacri textus computatio per se ob divinam inspirationem, a qua profecta, ab omni erroris suspicione immunis habenda sit, modo tamen inventa, probataque unius fere anni differentia in eadem Seleucidarum Epocha ab unoquoque ex laud. Scriptoribus adhibita juxta diversarum Gentium, et Vrbium methodum, apud quas scribebant, me tandem etiam quo ad nos, nostrosque calculos chronologicos computationem eandem recte procedere clare demonstrasse, atque ab injusta Scaligeri objecti erroris criminatione plene, cumulateque vindicasse confido.

De anno vero, et mense emortuali Herodis M. Regis, de labe Vulgaris Ærae, de anno Descriptionis ab Augusto indictae, et de anno ipso, cui Nativitas Christi D. assignari debeat, de quibus praecipue iis in Libris pertractare mihi propositum fuerat, ea monumenta, probationesque tam ex veteri historia, quam ex Lapidum, nummorumque fide, quae ad rem conducere poterant in medium prolatas fuisse, ut ex iis mirifice me profecisse visus sim ad veritatem de proposito quolibet Chronologiae capite certa ratione inveniendam, definiendamque: denique in iis libris alias Chronologiae partes ex argumenti nexu attingere debuisse, tam de sacra, quam de profana Historia, inter quas in primis annum emortualem Christi Servatoris nostri; ex iis autem non paucas nondum compertas patefecisse, aut non satis explicatas meliori in lumine ponendas omni studio curasse.

Post quam itaque Opus illud absolveram, et in lucem emiseram, in quo tam multa de rebus chronologicis pertractata fuerant, ea menti statim successerat cogitatio, atque animo inhaeserat, ut de Chronologia quoque Numismatica illustranda, si quid ea incrementi accipere posset, studium, curamque ponerem. Cum autem ab adolescentia mea hoc genere studiorum delectatus Numismata multa Regum, Populorum, et Vrbium, in primis vero Imperatorum

Romanorum in Orientalibus quibusque Provinciis edita mihi comparassem, eaque prae caeteris seligenda semper curassem, in quibus notae chronologicae sese offerrent, quod illa firmissimo omnium subsidio futura esse viderem ad utriusque Historiae, veterumque temporum, rerumque in iis gestarum illustrationem; in hanc curam subinde diligentius incubui. Ex quo demum mihi ipsi gratulari posse visus sum, quod praeclara multa hujus generis monumenta in manus meas secunda fortuna venerint, quorum adjumento etiam post praeclarissimos Duumviros Norisium, et Bellejum de hac Chronologiae parte prae caeteris optime meritos, non parum proficere posse agnoscerem ad ejusdem Chronologiae incrementum, et emendationem.


Qua propter Librum modo edendum statui de Epochis, sive de notis chronologicis, quae in nummis Imperatorum ex incorruptis fontibus hactenus vulgatis inveniuntur, quasque ex Museo nostro, vel Amicorum insuper addere potui, in quo materiam hanc omnem chronologicam numismaticam complexus de singularum Epocharum cardine, earumque computandi ratione accuratiori examine inquirerem, ac praeeuntibus ipsis nummis, aliisque non semel anecdotis monumentis ea statuerem, ac definirem, quae ad veritatem propius accedere mihi viderentur. In quo si quid profecerim Erudito Lectori judicandum relinquo.


Rem certe gratam horum studiorum Amatoribus me fecisse arbitror, quod Numismata omnia Imperialia cum notis chronologicis, quae in tot libros dispersa vagabantur, simul collecta, atque in postremo ex his Libro sub uno veluti aspectu videnda, ac discutienda proposuerim. Non erat autem hac opportunitate oblata praetermittendum, ut etiam nummos Musei nostri de unaquaque serie, Regum scilicet, Vrbium liberarum, et Imperatorum praecipuos, selectosque ederem, etiamsi chronol. notis careant, cum sint praestantes, plerumque anecdoti, vel ad editos supplendos, corrigendosque inserviant.

In quatuor propterea volumina rem omnem distribuere oportuit. In primo continentur Regum, deinde Vrbium, et Populorum numismata, in secundo, et tertio ea Imperatorum Romanorum. Atque in hoc tertio commodum fuit Additiones subjicere de non paucis aliis nummis, qui praecedentibus jam editis libris, Museo nostro accesserant, quique vel anecdoti, vel ob singularem praestantiam digni visi sunt, ut in lucem proferrentur, additis denique singularibus aliquot monumentis varii generis, tum V Exercitationibus in praeludium veluti earum rerum, quae in postremo libro de Epochis pertractanda supererant. In quarto demum singulariter agitur de Epochis, sive notis chronologicis, de quibus jam diximus.

Singulis tribus primis libris in fine adduntur Tabulae cum figuris, deinde Indices uberrimi non tam Vrbium, a quibus editi nummi, quam Rerum praecipuarum in Eruditi Lectoris commodum, quod idem factum in postremo de Epochis.

Habes itaque ex his, quae hactenus exposui, Erudite Lector, originem, et causam edendi hosce libros. Vnum te rogo, ut eos tenues veluti, supremosque senilis meae aetatis, et otii fructus libens accipias: ubi erratum, si suppleas, emendes, corrigas, me non invito facies: ubi veritatem attigerim, peto, ut faveas; ubi vero adversus praestantissimos Viros aliquid animadvertere mihi necesse fuit, id factum pro certo teneas, ut testor, ac pronuncio, quin de singulorum peculiari existimatione, ac debito honore quidquam detractum velim.





AEGYPTI REGES

Ptolemaeorum Regum Series, in qua illustranda post Vaillantium tam multi praeclaram operam navarunt, quorum agmen claudit cl. Eckhelius Doctr. Num. Vet. T. IV, nondum ordine chronologico tuto disponi potest. Neque enim a se institutam ii Reges peculiarem aliquam epocham in usu habuerunt, sed annos tantum Regni, et raro quidem adnotarunt; ac in eorum insuper moneta tituli singulorum fere semper omissi sunt, qui quidem, ut patet, magno adjumento essent ad scopum assequendum. Non omnis tamen spes abjicienda, ut ex novis, quae in dies prodeant numismatibus, vel cum propriis ipsorum titulis, vel cum notis chronologicis, quae nos hactenus latebant, proficere liceat, ut de singulorum accurata magis dispositione, et ordine constare queat. In hunc finem propterea ex tanto numero ejus monetae jam edito pauca quaedam mantissae loco hic subjicere operae pretium duco.

Caput Ptolemaei Soteris diademate ornatum sine epigraphe.

..... ΜΑΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ Aquila fulmini insistens. In area monogrammata m ΜΕ in monogrammate Θ, et epocha ΑΒ. Arg. I. Vide in sequenti.

Caput Ptolemaei I. diadematum.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ .... In area monogramma Tyriorum ⚕, et infra clava ex una parte; ex altera vero supra ΑΗ, inferius ꞵ, et inter Aquilae pedes Θ.

Arg. I. Tab. I. n. 1.

Praeclarum hoc numisma quo ad lineamenta vultus praecedenti simillimum est, tum alteri, quod exhibet Pellerinius Reg. p. 44. Tab. V. sub n. 1. ex argenteis, una dempta epocha. In eo enim habes Λ, ann. nempe XXX. Quinque argenteos similes ibidem Cl. Vir delineatos refert. Singuli in eodem areae loco, ac in utroque nostro insculptas habent notas Λ, ΛΑ, ΛΓ, ΛΕ, et ΛϚ, in iisque omnibus epocham merito agnoscit. Singulorum etiam epigraphe sic se habet ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. Hisce igitur praeeuntibus in duobus meis admittenda epocha, et in hoc quidem vox, quae deficiente margine desideratur, supplenda ΣΩΤΗΡΟΣ. Nam, ut recte animadvertit cl. Ekhel. p. 7. T. IV. D. N. vet. carent epocha reliqui Ptolemaei primi nummi argentei, in quibus loco ΣΩΤΗΡΟΣ, legitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

A Rhodiis *Soter* dictus fuerat, quod eorum Vrbem servasset, qui etiam referente Dione ex Jovis Ammonis oraculo eundem divinis honoribus affecerunt extructo luco cum Porticu quadrata ad unius stadii longitudinem, quam *Ptolemaeum* appellarunt. Annus in hoc secundo ΛΗ, idest XXXVIII. posterior est omnium, qui hactenus editi fuerint. Nec adversatur tempori, quo Ptolemaeum Lagi fil. Ægypti regnum tenuisse veteres memorant Historiae, ut jam Vaillantio, aliisque Chronologis animadversum. Ille enim an. XXXIX. explevisse fertur, quamvis adhuc vivens filio Philadelpho regni habenas lubens tradiderit.

Caput Ptolemaei Regis diadematum.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. In area ΠΑΡ in monogrammate, et infra ΓΛ. Aquila stans fulmini insistit. Arg.I.

Notandum in hoc tetradrachmo monogramma, ut supra. In plurimis Ptolemaeorum nummis argenteis habes ΠΑ, quod Vaillantius de Paphiorum Vrbe interpretatur. Verum, ut optime notat Pellerin. *Additions*. p. 83, non ita certo cum Vaillantio statui potest lit. ΠΑ, ΣΑ, ΚΙ etc. de aliqua Insulae Cypri Vrbe interpretandas, sed neque de iis Ægypti, ubi potius hujusmodi numismata percussa fuisse concedendum est, cum aliae passim literae detegantur, ut in exemplo ibidem ab eodem allato, quae Vrbium, sive Cypri Insulae, sive Ægypti, initiales esse nequeunt. In nostro lit. ΠΑΡ de Paremphi Ægypti explicari possent, de qua Antoninus. ΠΑΡΕΜΦΙΣ. *Paremphis* etiam Ægypti Urbs nominatur Stephano. Sed haec, ut diximus, incerta, iisque fortasse Monetariorum signa contineri probabilius judicaveris.

Hujus Regis imago, ad quem Ptolemaeorum referenda sit mihi plane obscurum. Ex lineamentis ad primum spectare videtur. Pellerinius hujus generis numismata Ptolemaeo secundo adscribenda existimat, rectius Eckhelius inter incerta rejicit, ut videre est in eius descriptione Mus. Vindob. p. 263. et in D. N. V.

Caput Ptolemaei Regis diadematum.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. In area hinc Λ. Ε, et infra caduceus, inde vero ΚΙ, Aquila stans fulmini insistit. Arg. I.

De hujus Ptolemaei imagine, quae cum praecedenti convenit, itemque cum altera, cujus aversa pars habet Λ. Β superne astrum, infra clavam, et ΚΙ. nihil certi pariter mihi statuendum sumam. Vnum illud notabo: inter minutas notas, quas Eckhel. sub Ptolemaeo II Philadepho recenset p. 8. notam Λ. Ε desiderari.

Caput Ptolemaei diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ Caput Berenices cum diademate fluentibus retro capillis, et in cincinnos contortis, velut in Isidis imagine conspiciuntur. Ante pectus cornucopiae Ær. 3. Tab. VI. n. 85.

Quod anterior pars imaginem referat, quae ad Ptolemaei I similitudinem accedit, ut in simili apud Haymium Tom. II. Tab. III. n. 8., non iniuria aversae faciem ad Berenicem postremam Soteris uxorem referendam cum Vaillantio existimo. Propterea illum delineatum exhibere e re duxi ad fidem faciendam. Quamvis autem Cl. Eckhelius dubia de hac re excitaverit, de quibus vide ipsius T. IV. pag. 122., sic tamen statuendum videtur, ut hi quidem nummi faciem Berenices referant cum ea mariti sui Soteris; alii vero cum iis vel Magae, et Apames uxoris, ut Pellerinio visum fuerat, vel ut rectius ab Eckhelio statuitur cum Philadelphi, et Arsinoes uxoris imaginibus. Certe nummos singulos sedulo inspicientibus clare satis sese manifestat discrimen, quod inter hunc nostrum, eumque Haymii, quos praeeunte Vaillantio caeteri omnes Soteri senilis aetatis lineamenta offerenti adscribunt, et inter illum a Pellerinio exhibitum T. I. Regum Cyrenaicae Tab. VI. n. 1. intercedit, tum vero etiam inter insignem amethystum, quem cum Magae imagine vulgavit Cl. Bellejus ex Mus. Ducis Aurelianensis Tom. XXXVI. B. L. hist. p. 18.

Caput Ptolemaei Regis diadematum, forte II.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. In area hinc L. IϚ, inde ΠΑ. Aquila fulmini insistens. Argent. I. Tab. I. n. 2.

Diversam in hoc numismate imaginem ab ea Ptolemaei primi facile est agnoscere. Similem profert aversam partem Vaillantius sub Philadelpho pag. 39. quo ad epocham; sed monogramma est ΠΑ: in nostro autem est ΠΑ; vultus vero lineamenta in eo nummo toto coelo ab hoc nostro distant. Si ergo in hoc agnoscendus Philadelphus inter La-

gidarum Ægypti Reges secundus, ejus veram magis, expressamque faciem in hoc habebimus, quam vide in Schemate. Diuturnum quoque hujus Regnum extitisse, patrique fere aequale inter Chronologos satis constat.

Caput Regis Ptolemaei, ut in praecedenti v. d.

ΠΤ ...... ΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ L. ΙΞ. Aquila fulmini insistens v. s. In area ad d. ΠΑ Arg. I.

Caput Ptolemaei Regis diadematum.

..... ΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕ ... Aquila stans fulmini insistit. In area hinc L ΙΗ, inde ΠΛ. Bracteatus I.

Notandum in hisce tribus descriptis praeter annos nondum editos, literas in singulis ΠΛ, quae sunt in area, esse sine lineola in secunda Λ, secus ac in editis exhibentur.

Caput Ptolemaei diademate ornatum.

ΒΑΣΙΛΕ ...... ΟΛΕΜ ...... Infra monogramma ΜΑ. Equus marinus in s. conversus. Ær. 3. Tab. VI. n. 86.

Primus Pellerinius egregie animadvertit monogramma ΜΑ de Maga Berenices, et Soteris filio, Ptolemaei vero Philadelphi fratre uterino interpretandum esse, cujus sententiam deinceps amplexi sunt Eckhelius, et Sestinius, in primis vero Cl. Bellejus, qui Magae historiam erudite conscripsit, eique imaginem adjecit ex praeclara gemma, quam paulo ante innuimus. Fuerat Magas post susceptam Cyrenaicam expeditionem, eamque absolutam, illi provinciae regendae a patre praepositus. Non est hoc loco repetendum, quod paulo ante dictum est, quid de huiusmodi numismatum imaginibus sentiat Eckhelius, quid Pellerinius. Vnum illud hic mihi notandum: nummum hunc nostrum ab eo Pellerinii cit. Tab. VI. n. 1. differre, neque modo, quod equum marinum in contrariam partem conversum exhibeat, et paguri symbolo careat; sed praecipue quod anterioris partis imago in senium vergentis in autographo magis, quam in schemate, ad Soteris potius simili-

tudinem accedere videatur. Neque sane a veritate abhorret, quod Magas cum Cyrenaicae praeesset, primo quidem in patris, matrisque gratiam, deinde in fratris etiam Philadelphi honorem pecuniam edendam curaverit, quamvis a fratre aliquando defecerit, assumpto etiam Regis nomine, ut ejus nummi testantur.

Caput Ptolemaei Regis diadematum.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Aquila fulmini insistens. In area hinc Ρ, inde Θ. Arg. fere I. Tab. I. n. 3.

Novi quid offert nummus iste in notis Ρ Θ, quae aream occupant; vel enim conjunctae, vel prima saltem separatim epocham quandam, sive Lagidarum annum a primo Soteris designare videntur. Vt neminem latet, in nummis Philadelphi notae plures occurrunt, quae ipsius regnandi tempus longe superant, ut sunt L ΜϚ, ΜΗ, ΝΔ, ΝϚ etc. Hinc merito Vaillantius, cui consentit Eckhelius, statuebat Philadelphum in hujusmodi nummis annos patris continuasse; ita ut notae illae rationem epochae in se continere dicendae sint. Si hoc pariter de nostro statuendum, notae Ρ Θ conjunctae Ptolemaeo Philopatori IV. nummum vindicant, si prima tantum retinenda, altera pro Monetarii signo accepta, Epiphani in Regum serie III. adjudicanda; ipsius enim vivendi, simulque regnandi tempus ad Lagidarum ann. CIV. pervenit, succedente sibi filio Philopatoris nomine. Haec erudito Lectori proponenda duxi, ut secum statuat, quid rectius de hoc nummo sibi pronunciandum videatur. Caeterum notanda facies florentis aetatis virum exhibens, tum crassities nummi exilior multo, quam sint hujus generis argentea numismata. Quod argumento esse videtur extra Ægyptum cusum fuisse.

Caput Jovis Ammonis.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.. ΥΕΡΓΕ.ΟΥ. Aquila fulmini insistens. Ær. I.

Caput Jovis Ammonis.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟ..... ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Aquila fulmini insistens rostro coronam gerit, cui insertus palmae ramus. In area ΘΕ. Ær. 3. Tab. V. n. 82.

Alii duo paululum diversi. Ær. 3.

Ad Ptolemaeum in serie Regum Egypti III hujusmodi nummos spectare res est explorata. Teste enim D. Hieronymo, a suis iste Evergetes cognominatus fuit, quod patrios Deos olim a Cambyse Rege in Persiam translatos in bello adversus Syros suscepto recepisset, suisque antiquis sedibus restituendos curasset. Abest tamen in omnibus similibus nummis imago, qua nihil opportunius extitisset ad ejus faciem certo dignoscendam. Vnum ex his delineandum decrevi ob coronam, insertumque in ea palmae ramum, quo symbolo caeteri hactenus editi carent, quo etiam insignem aliquam victoriam a Ptolemaeo partam Jove auspice, ac verisimilius Syriacam, in qua ad duo millia quingenta Deorum simulacra recepta fuisse memoriae proditum est, designari, nemo, ut puto, inficias ibit.

Caput Jovis Ammonis.

.... ΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Aquila fulmini insistens. In area ad pectus Aquilae L. Λ Anno XXX.

Ær. 2. Tab. VI. n. 87.

Similem delineatum exhibet Pellerinius Reg. Tab. V. n. postremo, sed in illo notae sunt L. ΛΔ. Eum autem nummum Ptolemaeo in serie Regum VI cognomento Philometori adscribit, eo quod nummi fabrica posteriorem duobus primis Ptolemaeis aetatem redoleat, et ad similitudinem eorum accedat, qui apud Vaillantium certi sunt Evergetis, et Philopatoris, ut videre est in ipsius Hist. Ptol. pag. 50, et 69. Ob eandem igitur causam et hic noster Philometori jure adscribendus. Tres enim, qui post duos primos sequuntur Ptolemaei, ad annum regni XXX minime pervenerunt. Philometor autem XXXIV attigit, cui respondent

notae in eo Pellerinii ΛΔ, in nostro vero L. Λ quadriennio licet minores, trium praecedentium regnandi tempus superant. Vnus argenteus a Vaillantio exhibetur cum titulo ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ, quo cognomine etiam appellatur cum sorore Cleopatra in Lapide apud Chishulium, quem refert Eckhel. T. IV D. N. p. 16., ubi animadvertit: cum regnaverit Philometor ann. XXXIV verisimile esse, quod alii tetradrachmi cum ejus nomine cusi fuerint. Idem dicito de iis cum annis regni adjectis, quibus jam addendus hic noster, eo vel maxime, quod nullus subsequentium Ptolemaeorum totidem regnandi annos expleverit, ne excepto quidem Phsycone, qui post Philometoris in regno per sex annos consortium solus XXIX attigit, non autem excessit, ut cum Vaillantio plerique Chronologi merito affirmant.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. Caput Jovis Ammonis.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Duae aquilae fulmini insistentes. In area cornucopiae. Ær. I.

Nummus iste ad Cleopatram Ptolemaeorum VIII, et IX matrem referri solet, nonnihil tamen repugnante Eckhelio, qui illum Cleopatrae etiam ultimae convenire posse existimat. Verum hujus numismata elegantiora sunt, ejusque fere semper imaginem insculptam exhibent. Similem videsis apud Pellerin. Reg. Tab. VI n. 1.

Caput puerile Ptolemaei Regis laurea corona insigne, ex qua longior dependet taenia cum clamyde ad pectus margaritis ornata.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ Aquila fulmini insistens. In area cornucopiae. Ær. 3.

Ad aliquem ex tribus postremis Ptolemaeis nummus iste referendus. Falso putabat Vaillantius pag. 145 in hujus generis nummis, qui satis frequentes, et obvii sunt, nullam agnoscendam esse lauream, quae caput Regis ornet, cum ex nostro, et similibus in Catal. Mus. Vindob. aliisque contrarium evincatur.

Caput puerile diademat. cum clamyde ad pectus.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ Aquila fulmini insistens. In area lit. Β lineola tridenti coniuncta.

Arg. I. Tab. I. n. 4.

Eximium hoc, anecdotumque argenteum tetradrachmum maxime commendat suavis quidam in Ptolemaei facie decor, et hilaritas. Si tridentis signum in area positum inspiciamus ad Ptolemaium XI, qui novus Dionysus, et Auletes dictus, referendus videretur. Ille enim ea Neptuni insignia sibi arrogavit postquam Archelai classem profligaverat, et regnum Gabinii opera receperat, quod ejus nummi testantur. Verum si hujus Ptolemaei faciem puerilem intueamur, et ipsius lineamenta ad sororis potius Cleopatrae similitudinem in numismate arg. Ludovici M. expressam apud Vaill. p. 166, quam ad Ptolemaei patris accedentia, alterutrum ex ejus filiis in eo agnoscerem. Nec quidquam obest, quod etiam filius paterna decoris insignia monetae suae adiecerit de recenti praesertim victoria navali, ob quam recuperato a patre regno, illud ad se quoque haereditate pervenerat. Fuit autem iste cum fratre infelicissimus; nam major natu cum annorum XIII regnum accepisset, illud quadriennio post Nili undis absorptus amisit, in Egypto bellum gerente Jul. Caesare; minor vero Cleopatrae sororis artibus de medio sublatus cum annum ageret XV, regni vero IV.

Caput Cleopatrae postremae Ægypti Reginae.

ΚΛΕΟ.... ΤΡΑΣ........ΙΛΙΣ..... Duplex cornucopiae cum taeniis: in area ℞ Ær. fere I Tab. V. n. 88.

Alicujus Vrbis monogramma esse videtur, a quo cusus nummus. In simili Vaillantii est simplex K.

Caput muliebre diademate redimitum, collo, ac pectore margaritis ornatum, ut et diadema, sine epigraphe.

ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ ΕΟC Mulier turrita scopulo insidens,

d. extenta, s. cornucopiae: pro pedibus fluvius emergens extensis brachiis. Omnia in corona. Ær. 2.

Nummus iste licet a vetustate male habitus, imaginem tamen non obscure offerre mihi videtur Cleopatrae in Ægypto Reginarum ultimae. Hinc sententiam libens amplector Editoris Catal. Theupol. qui in simili, tum in altero cum notis ΠΣ eamdem Cleopatram agnoscit, quamvis primum quidem Sestinius, Pellerinius vero alterum inter autonomos Damasci recenseant. Consentit etiam epocha in utroque; Notae enim EOC designant partim annum V. C. Varr. DCCXVII, partim insequentem; notae vero ΠΣ A. V. C. DCCXXII, et insequentis partem a verno tempore Ærae Seleucidarum ducendae ab A. V. C. Varr. CDXLIII, ut in lib. n. de Vulg. Ær. Em. probasse visi sumus.

Alium modo accipe a Patrensibus editum, quod nondum vulgatum putem.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡ.... Caput Cleopatrae Reginae diadem ate, et flore ornatum.

.... ΤΑC ΛVCΩΝΟC ΠΑΤΡΕΩΝ Flos loti. Ær. 2.

Ex Museo Odescalco, deinceps Vaticano a me descriptus.

Singularem hunc nummum a Patrensibus signatum fuisse non dubium eo tempore, quo Orientis Provinciae in divisione imperii a Triumviris facta M. Antonio cesserant. Simile fere Tripolitarum exemplum vide in meis Imperialibus sub M. Antonio, praeter alterum, quod extat ejusdem Vrbis apud Vaill. Promiscua vocalium forma, modo quadrata, modo lunata lit. Σ, Ε, et C, Є convenit jam tempori, quo editus nummus, nec nisi in autonomis Patrensium aetatis aliquanto posterioris occurrit etiam parmum ω. Similia magistratus nomina offerunt alii ejusdem Urbis nummi videndi apud Pellerin. Eckhel. Sestinium etc. Ab Augusto postea non multo post devictum Antonium Patrensis Vrbs facta fuit Colonia.

Caput Jovis Ammonis.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ... ΣΙΛΕΩΣ. Aquila stans, ante quam acrostolium. Duplex Ær. 2. Tab. V. n. 89.

Ab aliqua maritima Vrbe editi hujusmodi nummi ob acrostolium additum. In aliis Tyrii proprium Vrbis monogramma addiderunt; Tripolitae vero Diosiurorum pileos. In Aradiorum moneta non infrequens huiusmodi symbolum, illudque dex. manu gestat victoria in tetradrachmis arg. apud Pellerin. Pop. T. III. Tab. XC.

Atque haec pauca, quam plurimis aliis omissis, etiam m. m. in quibus tantum signa quaedam, ut ⚹ ⚹, Σ, Ω, ⊠, ⊙ Ʌ ΔΙ, Ε Ξ ΑΝ etc., de Ptolemaeorum Regibus attulisse sufficiant.

ARCADIAE REGES

ALEVS TEGEAE REX

ΑΛΕΟΣ Caput Regis Alei barbatum diadematum.

ΤΕΓΕΑΤΑΝ Heros nudus stans cum galea in capite, et clypeo in s. Medusae crinem accipit a Pallade galeata, ex adverso stante cum hasta. Intermedia est sacerdos puella utraque manu vas parvum sustinens sublime ante Palladem pro crine excipiendo e capite Medusae detonso ad arcendos hostes. In area bina monogrammata, ut in schemate. Ær. 2. Tab. XII. fig. 126.

Adversa pars Alei Regis imaginem offert, cujus Regia Tegeae Pausaniae aetate adhuc conspiciebatur. Ejus regnum statuitur mille, et quadringentos circiter annos ante Christi adventum, ex quo sequitur hunc, similesque nummos in ejus memoriam posteriori longe tempore signatos fuisse. Fuit Aleus Aphidantis F. Arcadis nepos, Jovis, et Callistus abnepos ex Pausania, qui ejus genealogiam fuse

describit. Ab eo extructum fuit templum Minervae, cui a Conditore Aleae nomen inditum, de qua mentio in nummis. Fabulam Cephei Alei fil. qualem supra in descriptione nummi delibavi, ex Apollodoro, et Pausania fuse expositam vide apud Haymium, plenius vero apud Eckhel. Doctr. N. V. et in Num. Vet.

ARMENIAE REGES

TIGRANES REX ATQUE ERATO EIVS SOROR

ΒΑCΙΛΕVC ΒΑCΙΛΕΩΝ ΤΙΓΡΑΝΗC Caput Tigranis Regis Regum cidari armeniaca ornatum.

ЄΡΑΤΩ ΒΑCΙΛΕΩC ΤΙΓΡΑΝΟV ΑΔЄΛΦΗ. Caput Erato Tigranis Regis sororis cum stola ad pectus. Ær. 2. Tab. I. n. 5.

Nomen feminae ERATO, cujus imago, et inscriptio in hoc praestanti nummo continetur, in familia Tigranis Armeniae Regis ex Artaxiae prosapia, de quo pariter mentio in hoc eodem nummo, minime novum est, et inauditum. Tacitus enim paulo post initium lib. 2. Annal. haec habet de Cajo Caesare Aug. filio ab eo delecto circa Aerae vulgaris primordia ad res Armeniae componendas: *Is*, inquit, *Ariobarzanem origine Medum ... Armeniis praefecit. Ariobarzane morte fortuita absumpto, stirpem ejus haud toleravere, tentatoque feminae imperio, cui nomen* ERATO, *eaque brevi pulsa, incerti, solutique .... profugum Vononem in regnum recipiunt*. En itaque illustris femina Erato, quam Armenii regno suo praeposuerunt, ut praetermissa Ariobarzanis externa stirpe, ad propriam Tigranis quoquo modo reverterentur. Idque luculenter patet ex iis, quae antecedunt apud eundem Tacitum: sunt autem hujusmodi: *Occiso Ar-*

taxia per dolum propinquorum datus a Caesare Armeniis Tigranes (is erat Artavasdis II filius, et Artaxiae II frater) *deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus, quamquam sociatis more externo in matrimonium, regnumque. Dein jussu Augusti impositus Artavasdes, et non sine clade nostra dejectus:* Tum sequuntur caetera, quae supra allata sunt. Vides ex hoc Taciti praeclaro testimonio ejus Tigranis liberos, quem Tiberius in regnum Armeniae deduxerat, fuisse et matrimonio, et regno sociatos. Designantur ergo a Tacito soror Erato cum fratre Tigrane, cujus imagines in nummo, de quo agimus, insculptae conspiciuntur. Idque eo vel magis concedendum est, quod Tigranes iste in nummo memoratus ejus stirpis fuerit postremus. Nam ut ex Tacito audivimus, idque confirmant Dio, Svetonius, Paterculus: dejecto, extinctoque hoc Tigrane ad Ariobarzanem origine Medum ventum est, deinde vix electa Erato, simulque repudiata, ad Vononem ex Parthorum Regum stirpe. Post quem nulla amplius de Tigranis prosapia fit mentio apud vetera monumenta, veteresque Scriptores. Haec itaque ad nummi illustrationem sufficiant.

Quaedam hic potius de utriusque inscriptionis orthographia notanda existimo. Tiberius ad Tigranem in regnum Armeniae deducendum ab Augusto destinatur cum ille in Syria moraretur ad res Orientis ordinandas, idque contigit circa A. V. C. Varr. DCCXXXIV, ut ex Dione, aliisque monumentis constat. Cajus vero Caesar, ut supra dictum est, expeditionem in Asiam suscepit circa vulgaris Ærae primordia, sive circa A. V. C. Varr. DCCLIV. Itaque ex his sequitur singula, quae gesta sunt, quaeque pertinent ad utriusque Tigranis in Armenià regnum, caeterorumque, qui intermedio tempore illud obtinuerunt viginti annorum circiter spatio circumscribi ab. A. V. C. DCCXXXIV., ad A. DCCLIV. Quibus positis perspicuum fit sub primum Augu-

sti imperii tempus, ex quo ille devicto Antonio, et Cleopatra, rebusque in Egypto, ac deinceps in Syria, caeterisque Orientis provinciis ordinatis, universo Orbi pacem attulerat, apud Armeniae populos in usum jam receptas fuisse sinuatae formae literas C, Є, et parvum ω. Qua de re tamen alia minime desunt exempla ex nummis praesertim Cleopatrae Antonii Reginae Ægypti postremae, ante hujus Tigranis, ejusque nummi tempora, ex aeneo vase Mithridatis Regis in Museo Capitolino, ex aliis demum monumentis, de quibus erit opportunior alibi dicendi locus.

Neque suspicari fas est nummum ad Tigranem referendum esse, qui ex eodem Tacito Annal. 14. a Nerone Principe ad idem capessendum Armeniae regnum missus, et a Corbulone Syriae Legato constitutus fuerat. Ille enim erat Alexandri Herodis Judeae Regis, et Glaphyrae filius, cum dubitari nequeat, quin nostra Erato, fraterque Tigranes essent utrique ex Artaxiae prosapia, ut supra demonstratum est.

Tandem, ne quid omittam, de hac ipsa Erato supplendum arbitror nummum ex Museo Hunteriano a Cl. Pinkertonio vulgatum, delineatumque ejus op. Tab. I. fig. 7., quamvis in eo feminae nomen desideretur. Sic autem se habet

BACIΛЄVC MЄΓAC NЄOC TIΓPANHC Caput Regis tiara armeniaca tectum.

.... TIΓPANOV AΔЄΛΦH Caput muliebre sororis Tigranis ad s. Ær. 2

Scrupulum tamen iniicit, quod in hoc nummo omisso familiari, et domestico titulo BACIΛЄωC BACIΛЄωN, se inscribat NЄOC TIΓPANHC, quasi ex nova, et externa familia regnum Armeniae adeptus fuerit. Ille certe Tigranes, qui sub extremum Neroniani imperii tempus, postquam diu obses Romae manserat, a Corbulone ei regno praepositus fuerat, *Cappadocum ex nobilitate Regis erat Archelai ne-*

pos, ex laud. Tacito. De hoc, meoque vide Sestin. Descript. N. V. p. 491, et Epist. T. V. ubi utrumque describit, atque egregie illustrat.

ASIAE REGES

DEMETRIVS POLIORCETES

Quoniam Antigoni Regis Asiae numismata, quae ejus celeberrimam victoriam maritimam exhibent, quam de Ptolemaei, aliorumque foederatorum Regum classe apud Cyprum reportaverat, jam edita, atque a praestantissimis Viris illustrata habentur, ob analogiam argumenti binos hoc loco praestantes Demetrii ejus filii nummos subiiciendos operae pretium duco. Sunt autem huiusmodi.

Caput Palladis galeatum sine epigraphe. v. d.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ Victoria stans, d. corollam sin. tridentem gerit. In area hinc inde monogrammata. Aur. 3. Vide illum in fine Regum Syriae.

Eximii artificii nummus nondum editus ex Mus. ornatiss. Equitis Agencurii de quibusque bonis artibus optime meritus, qui in eisdem illustrandis summa cum laude aetatem insumpsit.

Caput juvenile Demetrii Regis diademate revinctum.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ Neptunus nudus erecto pede d. stans, dextra tridentem intorquet, sin. extenta, cui involutum strophium taeniis thessalicum in modum ex eo dependentibus. Arg. 2. Tab. 1. n. 6.

Nummus integritate, et elegantia praestans veram, et expressam Demetrii imaginem exhibens.

In primo ad exemplum aureorum Alexandri M., atque etiam Antigoni patris modo jam sese offert victoria cum tridente, et corona, quod sane symbolum praecipue huic uni Demetrio convenire fatendum est. Nam de navalibus

Alexandri M. victoriis minime constat; Demetrius vero Antigonum patrem non modo in caeteris bellis mirifice adiuvit; sed praeclaram imprimis eidem navavit operam in celeberrima illa maritima victoria, quam de quatuor foederatis Regibus apud Citium, et Salaminen in ora Cyprii maris retulit: ob quam Antigonus regium diadema, titulumque ΒΑΣΙΛΕΩΣ mox accepit, eosdemque honores filio quoque detulit. De eadem victoria testis est etiam alter nummus aureus ab Eckhelio editus ex Mus. Magni Hetrur. Ducis, Num. Vet. pag. 84, in quo victoria in navi tubam inflat, ut idem testantur noster quoque arg. cum typo Neptuni, aliique jam vulgati.

Antea jam Demetrius ob expugnatas, et in libertatem assertas complures Asiae, et Graeciae Vrbes appellatus fuerat ΠΟΛΙΟΡΚΗΤΗΣ, quod *Expugnatorem Vrbium* significat. De variis vero subinde ejus casibus post adversum proelium apud Ipsum Phrygiae gestum, donec a foederatis Regibus e Macedonia, quam per fraudem interfecto Alexandro Cassandri filio per quinquennium obtinuerat, ejectus, captusque in libera Syriae custodia mortuus est, videndi Auctores, qui ejus gesta fuse enarrant.

BITHYNIAE REGES

NICOMEDES II.

Omissis utriusque Prusiae nummis, qui sunt communes libet hic subjicere bina numismata argentea Nicomedis II, et IV Bithyniae Regum cum notis chronolog. nondum editis, quae sic se habent:

Caput Regis Nicomedis II diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ Juppiter stans, d. fulmen, s. hastam. In area ΒΟΡ. Arg. I.

Ex Museo Monasterii S. Michaelis Venetiarum Ordinis mei.

Caput Regis Nicomedis IV diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. Iuppiter stans, d. fulmen, s. hastam. In area ΑΣ, et monogramma. Arg. I.

Ex Mus. Obizzi.

Auget uterque seriem Numism. Regum Bithyniae cum notis chronolog., quarum catalogum post alios eruditos Viros uberiorem exhibet Eckhelius D. N. V. T. II pag. 444, et 445.

ORADALTIS REGIS LYCOMEDIS F.

.. ΡΑΔΑΑΤ..... ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΚΟΜΗΔΟΥ... ΘΥΓΑΤΡΟΣ. Caput Oradaltidis filiae Regis Lycomedis diademate ornatum.

ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΗ. Fulmen alatum intra coronam. Ær. 3. Tab. 1. n. 7.

Ex paucissimis hic est, qui lucem aspiciat Oradaltidis imagine spectabilis. Dubia quae proponit ex suo nummo Cl. Nevmann. T. II. p. 16 de lectione nominis nobilissimae hujus feminae sublata jam video ab Eckhelio D. N. p. 447, ubi animadvertit in altero Comitissae Bentinck pariter legi ΩΡΑΔΑΛΤΙΔΟΣ, non ΩΡΟΔΑΛΤΙΔΟΣ. In schemate Eckhelii Tab. XI n. 16 ultima litera vocis ΘΑΛΑΣΣΗ scribitur per Α, in nostro clarissime est Η. Caeterum omnia in obscuro versantur, quae ad hujus nummi illustrationem facere possent. De Oradaltide altum apud veteres Scriptores silentium. De Lycomede mentionem habent Strabo, Hirtius, et Dio. Atque hic quidem lib. LI scribit Lycomedem regnum in parte Cappadocici Ponti obtinentem a Caesare post Actiacam victoriam, principatu spoliatum, ejusque ditionem Medeo cuidam ab eo concessam fuisse. Si conjecturis locus non iniuria suspicari fas est hunc Lycomedem in gratiam Caesaris deinceps rece-

ptum, aliquam Bithyniae partem in principatum accepisse, quam filiae moriens reliquerit.

BOSPORI REGES

SAVROMATES III BOSPORI REX

ΒΑΣΙΛЄѠC CAVPO ..... TOV Supple CAVPOMATOV Protome Regis Sauromatis cum modica barba capite diademato; et fluente ad humeros caesarie, et cum chlamyde ad pectus.

Idem Rex in equo pacificatoris habitu; ad caput equi parva effigies Septimii Severi incusa. In area superne stella, Ær. 1. Tab. 1. n. 8.

Hujus formae, et magnitudinis nondum editum invenio. Ob signum incusum, in quo paruum, ut mihi quidem videtur, caput Septimii Severi ad ejus tempora referendus nummus. Similes secundae formae vide apud Cary Tab. III. Atque illud notandum aereos, qui carent aliqua Imperatoris imagine esse sine notis chronologicis. Capitis epigraphe in hoc nostro retrograde scripta cernitur. Iste Bospori Rex Sauromates, qui ex nummis tantum innotescit ejus nominis III esse debuit; nam II Hadriani tempora non excedit. Plures alios ejus nummos aereos vide apud Sestin. Epist. T. I. p. 36.

CAPPADOCIAE REGES

ARIOBARZANES III EVSEBES PHILOROMAEVS

Caput juvenile diadematum Ariobarzanis III ejus nominis Cappadociae Regis.

.. ΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙ°ΒΑΡΖΑΝ°V ΕVΣΕΒ°VΣ .. ΦΙΛΟΡΩΜΑ[ιου] Pallas galeata stans, d. victoriolam, s. clypeum su-

stinet. In area ad d. solis, et lunae signa, ad s. monogramma, ut in schemate. Arg. 3. Tab. 1. n. 9.

Tres nomine Ariobarzanes Cappadociae regnum tenuisse modo inter Eruditos res est explorata. Hic tamen subjicere praestat quae ad uberiorem ejus rei illustrationem spectant.

De hoc Ariobarzane, qui fuit ejus nominis postremus mentionem habet Cicero in epistolis ad Famil, in quibus eum similiter, ut in hoc nummo, appellat *Euseben*, *et Philoromaeum*. *Cum vestra*, inquit Epist. 2 lib. XV ad Senatum scribens, *auctoritas intercessisset, ut ego Regem Ariobarzanem Euseben, et Philoromaeum tuerer, ejusque Regis salutem, et incolumitatem regni defenderem etc.* Addit ibidem per se a Senatu Regem declaratum, eumque, cum esset in castris apud oppidum Cybistra, ad quae Ciliciae proconsul statim post suum in provinciam adventum se contulerat; Regem ad se vocatum monuisse, *ut omnem diligentiam ad se conservandum adhiberet, amicosque patris ejus, atque avi judicio probatos hortatum esse, regis sui vitam docti casu acerbissimo patris ejus, omni cura, custodiaque defenderent.* Ex quibus, ut alia omittam, quae ab hoc synchrono, eximioque teste peti possunt, non modo sequitur eum Ariobarzanem, quem Cicero in magno officio suo posuisse scribit, ut ex auctoritate Senatus tueretur, eundem esse, cujus imaginem exhibet hic nummus noster argenteus; sed praeterea hunc ipsum Euseben Philoromaeum binos alios ejusdem nominis Ariobarzanes patrem, avumque in Cappadociae regno praecessisse. Quae quidem mirifice confirmat Strabo lib. XII, ubi narrat Ariarathe IX vita functo vix decenni, Senatum Cappadociam liberam esse jussisse; recusantibus autem libertatem ejus regni Principibus, ipsis permissum, ut quem vellent, Regem eligerent: eos autem elegisse Ariobarzanem, quem subdit *tertia generatione defecisse*.

Ac primus quidem ille idem est, de quo, referente Appiano, mentionem fecit L. Sylla in colloquio, quod cum Mithridate habuit, de se ipso haec effatus: *In Cappadociam ego reduxi Ariobarzanem ex S. C. cum praeessem Ciliciae*. Ad secundum spectat praeclarum illud pietatis erga parentes exemplum, quod commemorat Val. Max. lib. V cap. VII. Nam cum ejus pater post devictum Mithridatem in conspectum Pompeji M. pro tribunali sedentis cum filio venisset, regnum una cum diademate in eundem transtulit, quod tamen filius nunquam recepisset, nisi patriae voluntati auctoritas Pompeji accessisset. De tertio denique habes supra praeclarissimum testem Ciceronem cum Ariobarzane Eusebe Philoromaeo de acerbissimo casu patris ejus, quod recens evenerat colloquentem; habes insuper, si plura desideras, eundem in epist. XVI lib. II ad Salustium proquaestorem data de Bibulo eodem anno, quo ipse erat Ciliciae proconsul, Syriae rectore conquerentem, quod animum a se alienum multis factis ostenderet, atque inter caetera haec scribentem: *illud pusilli animi.... quod Ariobarzanem, quia Senatus per me Regem appellavit, mihique commendavit, iste in literis non Regem, sed Règis Ariobarzanis filium appellat*.

Quae cum ita se habeant jure mirabitur quisque praeclarissimos viros Spanhemium, Begerum, Petavium, atque ex nostris Norisium, Corsinium, ut de caeteris sileam ad hanc nostram fere aetatem nonnisi duos Ariobarzanis nomine Cappadociae Reges agnovisse, eorumque propterea regnandi tempora, resque gestas turbare necessario debuisse. Sed illud praeterea magis mirandum: Edvardum Corsinium singularis eruditionis virum cum in Prolegomenis Tom. IV de Fastis Attic. p. 47. binos lapides Athenis inventos sibi illustrandos suscepisset, in quibus clarissime tres nomine Ariobarzanes Reges inter se distincti memorantur, in iis tamen nonnisi binos Ariobarzanes vidisse.

Tantum praeconcepta opinio hominum mentes occupat, ut oculatissimos etiam viros quandoque meridianam veritatis lucem videre non sinat. In prima ex laudatis Atheniensibus inscriptionibus Rex Ariobarzanes cognomento *Philopator*, filius dicitur Regis Ariobarzanis *Philoromaei*, in secunda vero idem, qui supra, Rex Ariobarzanes Philopator, appellatur pater Regis Ariobarzanis *Eusebis Philoromaei*. Habes ergo avum Ariobarzanem *Philoromaeum*, filium Ariobarzanem *Philopatora*, nepotem denique *Euseben*, et *Philoromaeum*. En autem Inscriptiones ipsas, quas hic subjicere operae pretium duco, quamvis jam a Bellejo, et Eckhelio editas.

ΒΑΣΙΛΕΑ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΗΝ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΑ ΤΟΝ ΕΚ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟV ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟV ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΘΗΝΑΙΔΟΣ ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟV ΟΙ ΚΑΤΑΣΤΑΘΕΝΤΕΣ VΠ ΑVΤΟV ΕΠΙ ΤΗΝ ΤΟV ΩΙΔΕΟV ΚΑΤΑΣΚΕVΗΝ (sic) ΓΑΙΟΣ ΚΑΙ ΜΑΡΚΟΣ ΣΤΑΛΛΙΟΙ ΓΑΙΟV VΙΟΙ ΚΑΙ ΜΕΝΑΛΙΠΠΟΣ ΕΑVΤΩΝ ΕVΕΡΓΕΤΗΝ.

Regem Ariobarzanem Philopatora Regis Ariobarzanis Philoromaei et Reginae Athenaidis Philostorgi filium Constituti ab illo super Odei constructionem Cajus et Marcus Stallii Caji filii, et Menalippus suum benefactorem, subintellige, *honorant*.

Ο ΔΗΜΟΣ

ΒΑΣΙΛΕΑ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΗΝ ΕVΣΕΒΗΝ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ ΤΟΝ ΕΚ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟV ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΘΗΝΑΙΔΟΣ ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟV ΤΟΝ ΕΑVΤΟV ΕVΕΡΓΕΤΗΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Populus

Regem Ariobarzanem Euseben Philoromaeum Regis Ariobarzanis Philopatoris, et Reginae Athenaidis Philostorgi filium suum Benefactorem dicavit.

Hinc patet quanto adjumento sint vetusti lapides ad veritatem Historiae confirmandam. Jam vero in re prae-

senti accedunt etiam numismata, in quibus tum imagines, tum cognomina singulorum distincta inveniuntur, eaque reperies simul collecta apud Eckhelium, D. N. T. III p. 199. Neque hic sane ad ea, quae ibidem egregie adnotat ex Belleji fontibus praesertim petita, quicquam addere oportet.

Vnum est tamen, in quo a Cl. Viro mihi dissentiendum esse video. Scribit enim pag. 198 Ariobarzanem hujus stirpis primum a suae gentis Proceribus, approbantibus Romanis, in Regem electum fuisse anno V. C. Varr. DCLXIII. Quod quidem ante quinquennium saltem evenisse statuendum est. Nam, ut caetera modo argumenti genera omittam, cum illud in comperto sit apud omnes Pompejum confecto Mithridatico bello in Syria hiemantem res provinciarum a se devictarum ordinasse, Regumque legationes, ipsosque Reges ad se venientes audivisse; idque factum fuisse anno V. C. Varr. DCXCI, vel ad summum sequenti, eoque tempore Ariobarzanem quoque filio suo Cappadociae regno cessisse in conspectu ipsius Cn. Pompeji, qui filium reluctantem Regem appellaverit, et diadema sumere jusserit ex Valerii Max. narratione lib. V. Cap. VII; nummos autem habeamus Ariobarzanis I. Philoromaei cum annis ΓΛ, et ΔΛ apud Eckhel. ipsum, et Sestin. Descriptio Num. Vet. p. 491; hinc patet necessario sequi detractis ab anno suprascripto V. C. Varr. DCXCI, vel sequenti annis XXXIV, quot postulant postremae notae ΔΛ, initium, quo Ariobarzanes Philoromaeus primum Rex electus fuerat, retrahendum esse in annum V. C. Varr. DCLVII, vel sequentem. Atque hos calculos confirmant etiam veteris historiae monumenta. Ex Appiano enim de Bell. Mithrid., ex Epitoma Livii, atque ex Justino lib. XXXVIII, constat L. Cassium Longinum, qui Asiam provinciam praetor sortitus fuerat anno V. C. Varr. DCLXII, quique prorogato imperio eandem retinuit ad annum usque

V. C. Varr. DCLXIV, successore accepto Q. Oppio Salinatore, circa medium suae administrationis tempus, ex S C Nicomedem Regem in Bithyniam, et Ariobarzanem in Cappadociam, ex quibus uterque Rex Mithridatis opera expulsus fuerat, reduxisse, vel certe reducere debuisse; in quem finem etiam legati ab Vrbe in Asiam missi fuerant Man. Aquilius consularis, et triumphalis, et Man. Acilius praetorius. Iterum autem e regno a Mithridate, vel dejectum, vel ne acciperet impeditum, a L. Sylla quinquennio post restitutum fuisse, idem L. Sylla testis est in suo, quod habuit cum eodem Mithridate colloquio, apud Appian. Alex. vidend. lib. de Bell. Mithrid. p. 208. edit. Parisiensis. Si ergo Ariobarzanes Rex in suum regnum reducendus fuerat anno V. C. Varr. DCLXIII, oportet sane eundem ante idem tempus ex eo expulsum fuisse, ejusque in Regem electionem ante aliquot annos evenire debuisse.

COELESYRIAE REGES

ARETAS DAMASCI REX

Caput juvenile Regis diademate opere phrygio ornatum naso adunco conspicuum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΡΕΤΟΥ

ΦΙΛΕΛΛΗΝ... Figura muliebris turrita rupi insidens, d. extenta, s. cornucopiae, ad pedes fluvius caput exerens. Est rudis fabricae. Ær. 3. Vide illum in fronte Regum Ægypti.

Figura in aversa parte certo argumento est nummum in urbe Damasco signatum fuisse. Similis enim est typo, quem exhibent praesertim Augusti nummi ejusdem vrbis, quos vide suo loco. Aretae vultus ab editis diversus, offert enim hic noster specie, aspectuque regalem plane dignita-

tem cum naso insigniter aquilino, et diademate opere phrygio ornato. Confer quaeso illum Froelichii Ann. Syr. Reg. Tab. XVI. n. 2. cum schemate n. ut supra. Flav. Joseph Antiq. lib. XIII cap. XV. scribit Damascenos ob postremorum Regum Syriae discordias, atque impotentiam timentes, ne in Chalcidis Dynastae potestatem venirent, quem maxime oderant, cuidam Aretae Arabiae Principi se tradidisse. Cum autem non unus nomine Aretas extiterit Damasci Rex; noster vero ab eo Froelichii lineamentis vultus manifeste differat, et utrique se Graecorum amantes inscribant, incertum manet utri potius quisque nummus sit adscribendus. De uno ex his Damasci Regibus a D. Paulo in Epist. 2 ad Corinth. mentionem fieri neminem latet.

COMMAGENE REGES

ANTIOCHVS M. EPIPHAN. ET IOTAPE REG.

. ΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝ. In area E Caput Regis Antiochi Magni Epiphanis diadematum. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΙΩΤΑΠΗ . . ΕΒΑΣΤΗΝΩ. Inter sellae fulcra ΕΡ ΟΑ Mulier sedens, d. pateram, s. sceptrum. Ær. 2. Tab. I. n. 10.

Hujus Reginae nummos illustrat Cl. Massonius apud Haym. Parte I. p. 116, tum Eckhel. D. N. V. T. III pag. 257, et Num. Vet. p. 275. Scribunt autem sororem, et conjugem fuisse Antiochi IV Commagenorum Regis; cum eidem tantum a Claudio concessa fuerit pars Ciliciae, cui contigua erat Insula *Sebaste*, de qua mentio in hoc nummo, aliisque jam editis. Iotape vero in alio praeclaro nummo ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ hujus Antiochi appellatur apud laud. Auctores. In hoc nostro haec peculiariter notanda. Inscriptio capitis genitivo casu, non nominandi, ut in editis ha-

ctenus; lit., vel nota E, quae annum fortasse regni V designat; nomen insuper Jotapis per Ω scriptum, quod in editis per O expressum, vereor ne ex errore factum fuerit. Nam in nostro literae Ω extremae partes ita accedunt, ut coniunctae videri possint; sed punctis sejunguntur, quod advertendum. Cl. Massonius apud Haym. Part. I. recte ejus nomen scriptum exhibuit.

Literae ΕΡΟΑ, quae inter sellae fulcra conspiciuntur ad epocham Sebastenorum propriam, ad annum nempe CLXXI designandum non inepte positae dicendae essent, si tempora congruerent Antiochi IV, qui sub Vespasiano regnum amisit, aut saltem ex historiae monumentis constaret ejus filios, vel nepotes sub insequentibus Imperatoribus aliquando in regni sui possessionem iterum admissos fuisse. Ex epocha hujus Vrbis, quam in nummo Valeriani se invenisse putavit Vaillantius, sequeretur hunc nummum ad Antonini Pii tempora esse referendum. Haec tamen omnia in incerto, atque obscuro versantur, neque nummus Valeriani cum notis COΔ, quem proposuit Vaillantius ex Museo regio, quemque illustravit Bellejus, approbante etiam Eckhelio, omnem sibi fidem jure vindicare potest. Nam Vaillantius ipse aliam exhibet ejus nummi lectionem sub Valeriano in corpore Operis sui de Numm. Graec., aliam in fine ejusdem Libri, ubi de Epochis Vrbium; Bandurius vero de eodem nummo regio p. 125 testatur aversam ejus nummi epigraphen pene exesam a se inventam, in quo tantum literarum ΠΕΡ ΔΕΤ vestigia supersint. Nova itaque expectanda sunt monumenta, ex quibus aliquid certi de hac re statui queat. Caeterum simplicem literam E aliquando adhibitam fuisse ad annum exprimendum loco ET, vel ETOVΣ, alia minime desunt exempla, inter quae recensendus meus Rhoseorum autonomus sic inscriptus E ΣΟΒ suo loco videndus, itemque Aradiorum nummi in Elagabalo.

EPIRI REGES

ALEXANDER I. REX

ΑΛΕΞΑ

ΤΟΥ ΝΕ fulmine intermedio. Omnia intra lauream.

Aquila stans, hinc tripus, inde olivae ramusculus, assurgente in medio bacca. Ær. min. Tab. add. XXXIX. fig. 68.

Ex adjecto nomine Neoptolemi Alexandri patris certo sequitur hunc nummulum ad Alexandrum I ejus nominis Epiri Regem esse referendum. Similem fere describit Eckhel. D. N. V. T. II pag. 169, sed in eo desideratur oleae ramus.

ALEXANDER II. REX

Caput Herculis, ut videtur, sine epigraphe.

ΑΛΕ Aquila fulmini insistens cum astro in area ad caput alae d. Tab. add. XXXIX. fig. 69.

Quod careat Neoptolemi patris nomine, et aversae typus ad illum sequentis nummi Ptolemaei Regis accedat, hunc Alexandro II adscribendum existimo.

PTOLEMAEVS REX

Caput muliebre capillis ad occiput fluentibus, et cum corona fastigiata.

ΠΤΟΛΕ Aquila fulmini insistens: ante pedes laurea corona. Ær. min. Tab. I. n. 11.

Hunc nostrum primo edidit Sestinius Descript. N. V. p. 164 inter Epiri Reges. De hoc Ptolemaeo vide quae praeclare animadvertit Eckhel. Sylloge I. p. 85, tum D. N. T. II p. 176, ut statuat huiusmodi nummorum genus a serie Ægyptiorum abjudicandum esse, atque Epiro tribuendum.

GALATIAE REGES

AMYNTAS REX

Protome Mercurii cum caduceo ad humerum d. et cum petaso in capite.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΜΥΝΤΟΥ Caduceus erectus. Ær. min.

Pertinet nummus ad Amyntam Galatiae Regem, ut solide jam probatum a Pellerinio, tum ab Eckhelio D. N. T. III p. 186. Nummi enim Amyntae, qui ad Reges Macedoniae spectant, carent titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ, ejusque nomen dorice effertur gignendi casu ΑΜΥΝΤΑ. Fuit hic noster Amyntas Dejotari Galatiae Regis scriba, sed devictis in bello Philippensi Cassio, et Bruto, ad quos cum delecta manu a Rege suo auxilio missus fuerat, in victorum partes transiens ab Antonio promeruit, ut post Dejotari mortem, Galatiae Princeps constitueretur, ac deinde Regis etiam titulum assumeret. In eo finem habuit Galatiae regnum; Augustus enim post Actiacam victoriam eidem ignoscens, quod Antonio fidem suam praestitisset; tamen post aliquot annos illo mulieris fraude extincto, praetermissis ejus filiis, regnum in provinciae formam redegit.

Caput Palladis cum pharetra.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΜΥΝΤΟΥ Cervus stans erecto capite. Ær. 3.

Ad eundem, qui supra, Galatiae Regem Amyntam spectat, de quo hactenus dictum est. Ex utriusque partis typo, qui plane similis nummis Moagetae Cybirae in Phrygia Regis, infert laud. Pellerinius Amyntam praeter Galatiam, et partes quasdam Lycaoniae, et Pamphyliae, Cybiram etiam dono ab Antonio accepisse: cui quidem opinioni minime adversatur Eckhelius.

JVDAEAE REGES

SIMEONIS ET ANTIGONI NVMMI

Sequuntur modo nummi Hebraico-Samaritica lingua inscripti cum annis liberationis Israel sub Simone Machabaeorum Duce An. I, II, III, et IV, qui postremus in nummis hactenus notis, nec ultra reperitur. Item bilingues tres Antigoni Regis Aristobuli II filii: atque horum plerosque delineatos invenies Tab. I, et II a numero 12 ad 20, item Tab. V. n. 83. Cum autem hos omnes uno, vel altero dempto, qui postea Museo n. accesserunt, Cl. Fabritius Ord. Praedicatorum decus, atque in his studiis versatissimus sibi interpretandos susceperit, omissis iis, quae ipse adnotaveram, praeclari Viri illustrationem ex ipsius autographo hic subiungere, atque hujus linguae Amatoribus communicare in mea, meique Musei laude pono. De his etiam, si lubet, consule Eckhel. D. N. V. T. III pag. 468, et seq., item C. Bayer T. I ad Tab. I; insuper Barthelemyum, et Pellerin. Suppl. IV p. 129, et alibi. Monendum arbitror vereri me, ne exempla in Tabulis proposita ita exacte archetypis suis respondeant, ut viris hujus linguae peritissimis cumulate satisfaciant, nisi fontes ipsi consulantur.

HEBRAICO - SAMARITICI NVMI

In egregio Revmi P. Abbatis Sanclementii Numiphylacio adservati.

Numus I. aereus, ad parvuli, ut ajunt, moduli formam exactus. Antica; Palma arbor, Judaeae symbolum, expansis ramis, duobus vero hinc inde infernis suis dactylifera. Subtus utrinque vox Samariticis expressa litte-

ris, videlicet, שמעון , *Scimeon*, sive *Simon*. Postica, Botrus cum suo, uti videtur, sed multum exeso, ad dexteram superne haerente pampino, seu vitis folio. Epigraphe ad marginis oram circumcurrens, prioribus tamen quatuor paullo abrasis elementis, hac, quae sequitur ratione restituenda לחרות ירושל , *Lehherùth Jeruscal.*, cui postremae voci per compendium expressae, deest τὸ נן , sive ם *mèm finale*, quod extremum elementum est τῦ ירושלם *Ieruscalem*, vel ירושלים , *Jeruscalaim*, addito τῶ י , *jod* ante penultimam vocis litteram, quemadmodum nomen vulgo Hebraice effertur. Atqui inscriptorum horum verborum duorum sensus est *Libertatis*, vel in *Libertatem*, aut *Libertati* (nam τὸ ל *Lamed* praefixum, vel praepositum, varie accipitur,) *Jerusalem*. Nummus rarissimus ad annum primum principatus Simonis Machabaei, Judaeorum summi Pontificis omnino referendus. Illud autem Simonis nomen habet singulare, quod postrema ejus nominis littera ן , vel ן *Nun* solitaria, areae sinistram occupat latus, contra atque in plerisque ejusmodi numismatis ectypis jam vulgatis videre est; in quibus eadem littera dextrorsum subjacet.

Numus II item aereus, suo autem volumine, priori numismate, et amplior, et crassior, ad medium, seu secundum tamen modulum non accedens. Tam anterioris partis, quam posterioris typus idem, seu palma fructifera, et vitis folium dexterum, unde Botrus; sed praecedenti numo sua utraque epigraphe prorsus varius numus iste est. Quam aversa in περιφερεία exhibet, eo modo se habet inscriptio = שנתאחת , לגאלת יש , *Scenath Ahhath Legeullath Isc*. Quod postremum τὸ *Isc* compendium est τῦ ישראל Iscrael. Significatio ergo verborum haec ipsa erit = *Annus primus, vel anno primo Redemptionis Israelis*. —— Quod alteram adversa conspicuam spectat epigraphen, non una in ea interpretanda laborat difficultate. In

qua sane eruenda maxime dissidere summos viros, licet ad id genus Litteraturam egregie informatos, intelligo. Hoc unum breve dicam, quoniam illam litem componendi, aliis distento studiis neque mihi est otium, neque heic locus est. Simonis nomen exoticam nostram epigraphen involuere, esse doctos homines, qui censeant. Vt ut est, inscripti characteres, quos alii *Hieroglyphicos* vocant, *Incognitos* alii, ab Samariticarum litterarum indole, atque habitu, una earum, aut altera excepta, quacumque tandem ratione interpretentur, parum aut fere nihil abludere, mea quidem sententia, videntur. Accedit quod in Sanclementiano hoc numo insigniter raro, characteres inordinato, ac undatim infra palmam quaqua versus dispositi quidem sunt; verum paullo aliter, atque in caeteris ejusdem numi a me observatis ectypis vulgatis, exaratos illos ipsos esse nullus dubito. Numus certe Sanclementianus Samariticos characteres maximam partem apertissime exprimit; quod ego plurimi facio.

Numus III praecedenti n. 2. productus, volumine suo etiam amplior, quem secundi moduli haud difficulter dicerem, aereus est. In ipsius anteriori parte palma, uti in superioribus jam descriptis numis duobus, fructifera. Epigraphe Samariticis litteris quinque infra ramos expansos palmae exaratis quidem, ut *τὸ* נ Nun extremum nominis *Scimeon* elementum dextrorsum obsignatur, secus atque in Sanclementiano numo priori animadversum ante est. Inscriptio ergo est = שמעון, *Scimeon*, i e *Simon*. Aversa, pampinus, qui circumdatur epigraphe altera litteris לחר *lehhar* et י *jod* fere abrasis. Est vero ejusmodi ישראל לחר ב ש. Qui characteres ש *Scin* et ב *Beth* priores initiales litterae duae sunt, et compendium integrarum vocum שנת שתים *Scenath Scetaìm* referentes; quemadmodum *τὸ* לחר *lehhar* loco est *τῆ* לחרות. Iccirco legenda inscriptio est, quo sequitur, modo = scilicet *Scenath Sce-*

talm Lehheruth Iscrael, i. e. *anno secundo*, *redemptionis*, aut *liberationis Israelis*, Pontificatus nimirum ejusdem Simonis. Numus utique rarus, sicuti sequentes recensendi.

Numi quatuor aerei, parvuli, seu minimi moduli, omnesque plus minusve singulis suis epigraphis integri, sed ita, ut alteri altera inscriptio opem reipsa ferat, totaque res elucescat, neque sit explicatu difficilis. Adversa, Calix, aliis, Vrna, sive Vas, sive Vrceus utrinque auritus; estque Diota absque operculo, inscriptis circumclusa hisce litteris = שנת שתים *Scenàth Scetaìm*, i. e. *annus secundus*, seu *anno* II. Adversa; pampinus circa cujus extimam oram legitur חרת ציון *Hheràth Tsion*, h. e. *Liberatio* Sion. Sub ejusdem supra laudati Simonis pontificatu percussus numus. In qua epigraphe τὸ חרת est loco τῶ חרות.

Numus VIII parvuli item moduli, aereus, sub eodem Simone principatum gerente procusus. Adversa. Vas sive calix, vel urceus duabus connexis maniculis, suoque operculo acuminato ornatus. Epigraphe, posteriori vocabulo τῶ שלוש fere exeso apparet; τὸ vero שנת integrum exhibet; quae restituta, est legenda: *Scenath Scelòsc*, שלוש שנת, i. e. *annus tertius* vel *anno III.* Aversa, vitis folium cum vocibus ad marginis oram חרות ציון, *Hheràth Tsion*, i. e. *liberatio Sion.* sed priore vocabulo multum obliterato, neque τῶ Tsion penitus integro.

Numi quinque, sive IX. X. XI. XII. et XIII. parvuli etiam moduli, sed paulo crassioris, aenei. Adversa, vas patens, uniones, sive margaritas in extima summi labri circumquaque referens, absque maniculis. In περιφερείᾳ, uti in praecedentibus numis, epigraphae vulgo comparent. Singuli isti maximam partem satis integri hanc offerunt inscriptionem = לגאלת ציון *Legeulàth Tsiòn*, seu *pro liberatione*, vel *in liberationem Sion*. Quae epigraphe illud exhibet singulare, quod elementum *Vav* a forma in prioribus enumeratis numis obvium, plane discrepat. Estque hujus·

modi Ƶ, quod in caeteris, modo ϰ modo ϗ exprimitur. Aversa fasciculum ramorum duo inter mala citrea erectum inferne gerit. Epigraphe = שנת ארבע *Scenath Arbàa*, i. e. *Annus quartus*, ad praefatum Simonis Pontificatum referendus; ultra quem annum nullos ejusdem Pontificatus detectos numos hactenus fuisse, eruditis omnibus satis compertum est.

Antigoni Regis Judaeorum, Aristobuli filii Numi eximiae raritatis.

Atque hi sunt numero tres, et quidem bilingues, graece nimirum, et Samaritice - seu Hebraice - exarati —— Numus primus medii fere, seu secundi, duo vero sequentes post describendi, minoris moduli, iique singuli, uni soli utroque eodem inscripti sermone sunt, qui aetatem tulerunt. Verum, uti caeteros omnes numos Antigoni ex Asmonaeorum gente ultimi Judaeorum Regis nomine percussos, atque ab Hadriano Relando, Erasmo Froelich, Joanne Swinton, et a Cl. viris Barthelemy, et Pellerinio, ut alios silentio praeteream, vulgatos videmus; Sanclementii numi eo modo fere efformati videntur, ut quis ex inscriptis tribus singulis Samariticis, quae in iis supersunt, litteris, sensus plenus revera eruatur, aliqua conjectura, aliis jam publicatis, integris ectypis prorsus deficientibus, vix assequi, comprehendere autem animo satis commode, ne vix quidem possumus. —— Enim vero nulli ejus commatis numi quorum ectypos noverimus, sua absoluta, atque perfecta gaudent integritate, ut pote qui suis praesertim epigraphis, aut partim mutilati sint, aut in aliquot elementis partim ita exesi, ut in iisdem bene explicandis Oedipo conjectore opus esse videatur. Quum autem in tribus Sanclementii inscriptis numis res eo pacto, etsi aliquanto minus in priori, habeat sese; quo minus in singulis eorum litteris ad-

unguem eruendis, mihi plane satisfaciam, numorum ipsa labes impedimento est. Spes tamen aliqua mihi affulget, fore ut Samariticis illis ipsis epigraphis, quamquam harum nullae integrae sunt, at mutuam quamdam operam sibi praestant, quidpiam affundi luminis queat.

Quare sit primus numus, mallei ictu ita excurrente percussus, ut tertia ferme sui parte adversa typus deficiat, quod multis Samariticis numis, Monetarii vel indiligentia, vel festinatione accidit. Eadem adversa, corona visitur, aut laurea, aut floribus amygdalinis, aut potius hederàceis in texta foliis, atque vitta sua illigata. In περιφερεία litterae solae ANTIΓ. : : :, quae si integrae forent, plenam prae se tulissent τȣ ANTIΓONOY i. e. *Antigoni* appellationem, cui quidem nomini alterum τȣ BACIΛЄΩC, seu Regis, defectu ejusdem typi subtractum, certissime respondebat, uti ex aliis vulgatis ectypis, et duobus ipsis minoris molis Sanclementii numis palam patet. —— Aversa; geminum cornucopiae vel frugibus, vel floribus plenum, abundantiae, et ubertatis symbolum, inferne vero decussatum, in cujus medio litterae conspiciuntur duae, altera quarum, seu prior exesa quidem, in qua tamen elementi τȣ W *Scin* Samaritici non obscurum adhuc comparet vestigium; altera autem litteram τὴν F Aleph manifeste repraesentat. Quae elementa duo si accipiantur veluti initiales litterae, seu compendia integrarum vocum, quemadmodum reipsa esse accipienda nullus ambigo, et jam animadversum a cl. Barthelemy fuerat, haec dabunt vocabula duo: אחת שנת *Scenàth Ahhàth*, i. e. *anno primo*. Regis nimirum Antigoni.

Jam vero ad alteram epigraphen ipsam venio, in qua explananda, atque legenda doctissimum Pellerinium frustra exsudasse, si dicam, non vereor, ut multum errem, neque id mirum. Nam cum epigraphen non modo non integram, sed plus minusve detritam prae oculis haberet ipse Pellerinius, ut ille idem cl. Barthelemy Epistola ad Ill.

Perezium Bayerium data, de hoc numo nos monuit, hinc multa ex ingenio, ac multi variique lapsus; quod in id genus studiis saepissime contingit. Quod tamen non eo dico, quo de Pellerinii existimatione, pro magnis in rem numismaticam ejus meritis, aliquid aufferre velim. Id unum autem in numo suo, Museum Regium Parisiense post ejus obitum, inlato, et Sanclementiano prorsus simili, interpretando assequutus Pellerinius est, quod primus omnium Mathathiae nomen nobis palam fecerit. At haec ἐν παρόδῳ.

In Sanclementii numo litteras tresdecim clare expressas video; eoque exaratas ordine; ut ab unius cornu copiae parte dextera lectio primum procedat, indeque ad alterius sinistram introrsum producatur. Singularum vero capita litterarum, contra atque in ejusmodi monumentis inscriptae offerunt Samariticae litterae, non ipsius numi limbum, sed geminum cornu copiae ex omni parte respiciant. Quas sane litteras Hebraicis vulgaribus, sive Chaldeo -- Assyriacis sic exhibeo, sequentibus comprehensas vocibus = : : : : : : : נתתיה כהנ גרל חנ : : :, hujus prioris verbi elemento נ paulo exeso, quod tamen sic exprimendum eo lubentius adsero, quod in altero numo perspicue lego τὸ ⅁, *Mem* Samariticum; unde exurgit nomen נותתיה *Mathathia*. Ex postrema porro voce duas tantum complexa litteras, unam aut alteram evanuisse non est quare dubitemus. Quae vox חן per se se *gratiam* quidem significat, sed nullo sensu. Vnius ergo alteriusve defectum passam eam fuisse, res ipsa, cujus in numo haud obscurum manet vestigium, perspicue commonstrat. Quare, tametsi ex secundo, quem inferius recensuri sumus, Antigoni numo, quippe inscriptis iisdem omnino litteris, sed ex parte male habitis, τὸ חנ, *Hhàn*, ad suam nequaquam restitui integritatem possit; nihilo secius satis probabili conjectura ducor ad suspicandum, illam ipsam vo-

cem per *τὸ* חנך *Hhònen*, vel חנון *Hhannùn*, id est, *gratiosus*, *clemens*, *beneficus*, *εὐχαρις*, *πρᾶος*, *ἀγαθοεργὸς*, esse proferendam. Quo sane vocabulo ea ratione restituto, hanc plenam obtinebimus inscriptionem = *Mathathia Cohen Gadol Hhònen*, vel *Hhannùn*, hoc est, *Mathathias Sacerdos magnus*, *clemens*, vel *beneficus*. Quam in rem dum inquiro, in eam facile inducor sententiam, ut Antigonus et Rex, et summus Sacerdos Judaeorum, cognomen adsciscens sibi *benefici*, vel *clementis*, vel *gratiosi*, Syriae in primis, et Ægypti Regum exemplum videatur aemulatus; qui hos, et similes titulos, ut Antiochus *Soter*, seu *Servator*, Ptolemaeus *Evergetes*, seu *beneficus*, aliosque arrogantia plenos ambiebant; quod satis notum est.

Quod autem in ipsa epigraphe *τὸ* כהן Cohèn, loco *τοῦ* Haccòhen הכהן, omisso nimirum praefixo Articulo ה, Hè, reperiatur scriptum; neminem futurum arbitror in sermone mediocriter versatum Hebraeorum, qui illam culpet scriptionem. Quum ejusdem scriptionis sacra volumina nobis exempla in promptu praeberent, quae eam apprime firment.

Sed ratio ipsa nos admonet, ut de numo hoc pauca afferamus. Atqui Antigonum, statim atque Parthorum in primis, licet repugnantibus ipsis Romanis, qui Hyrcani fratris summi Pontificis partes tutabantur, in Judaeae regnum ab Aristobulo patre ante occupatum, tandem suffectus est, numum anno principatus sui, et sacerdotii summi primo, seu ante natum Christum quadragesimo percussisse, satis intelligitur.

Numum vero binomine signatum legimus, adversa quidem graeca Antigoni Regis, aversa autem, Hebraica *τοῦ* Mathathiae appellatione. Siquidem jam inde ab annis multis apud Judaeos tunc aetatis usus invaluerat, ut principes praesertim, ac nobiles viri graeca sibi imponerent nomina, quin tamen Gentis propria respuerent. Itaque An-

E 2

tigonus Rex, uti Asmonaeae suae originis luculentum magis daret testimonium, tum decori suo, et majorum suorum gloriae consuleret. Mathathiae nomen Judaeis ipsis apprime carum, quo etiam, ut opinor, appellabatur, vel saltem honoris causa, monumento hoc publico inscribendum curavit; quinimmo, ut mos erat Judaeae Regibus, inde usque ab Aristobuli, Johannis Hyrcani filii, aetate, qui primus omnium nomen regium reduxit, Pontificis summi titulo numum suum insignivit, et quidem *Clementis*, aut *Benefici*, quo Judaeorum gratiam magis magisque sibi conciliaret, atque benevolentiam. Verum infelici, paucis postannis, turpique morte, Herodis Antipatri filii machinationibus, a Marco Antonio misere multatus est. Ita e vivis sublato Antigono desiit domus Asmonaeae principatus, ad Antipatri filium translatus. postquam, ut Josephus *Antiquitt. Judaic.* lib. XIV. cap. XVI. §. 4. memoriae tradidit, centum viginti sex annos duravit.

Reliquum est, ut caeteros recenseamus numos duos, singulos parvuli at spissi moduli, atque uti in priore numo adversa, intra lauream, vel hederaceam coronam nomine Regis Antigoni, sed modo pleniori; modo contractiori ratione, graece scripto, signatos. Aversa, unum tantum cornu copiae vitta, sive taenia circa mediam partem illigatum. Vterque tamen in eo differunt, quod eorum alter epigraphen totidem litteris aliquanto exesis, Samariticis, ac in priori numo nomen *Mathathiae Pontificis maximi*, *clem.* ::: vel *benef.* ::: plene referat. Alter denique sive tertius, et postremus Antigoni numus illud praesefert animadvertendum, quod grandioribus, seu majusculis inscriptus literis Samariticis est, tresque solummodo voces *Mathathiae Pontificis magni* nomen complexas, licet vetustate partim omnino corrasas habeat, hoc modo = נרל : : : : : : מתת; quae litterae singulae in Sanclementii numo bene expressae τὸ מתתיה כהן גול, *Mathathia Cohèn Gadol*,

essent legendae; neque altera voce חנן, cujus sane verbi comprehendendi ipsa numi ara incapax est, supplendum, demonstrant plane ad veritatem. Atque notae in postremis duobus numis non exiguae raritatis, anni quo percussi fuerint ne minimum quidem deprehenditur vestigium. Quamquam, nisi me mea fallat opinio, ad Antigoni principatus initium eosdem cusos fuisse, non invitus existimarem.

Atque haec ego de Samariticis Sanclementianis numis adnotanda, una ea voluntate duxi, ut eximio atque meritissimo eorum possessori morem gererem, quod tamen rudi sane minerva feci. Multa etenim in hac recensione esse intellexi, quae majori indigerent animadversione atque ἀκρίβεια, iccirco bono otio. Quoniam vero numi, in primis n. 2. et tertio Antigoni nulla est epigraphe hactenus vulgata, quae in suis Samariticis exaratis litteris aliquo non laboret vitio; utinam doctissimus Abbas Sanclementius aliquando aeri incidendos eos curaret. Quibus ego ectypis, quippe ad archetypa illa ipsa exemplaria diligenter exactis, in eo quem de Johannis Hyrcani numo Samaritico, re Phoenicum litterario illustrando, mihi scribendum aggressus sum, commentario lubentissime uterer, etc.

HERODES REX M.

Galea mensae imposita inter duos palmae ramos.

ΗΡΩΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ Ara cum basi in tripodis formam erecta, supra quam vas cum igne accenso, ut videtur. In area hinc L Γ, inde monogramma coalescens ex lit. T et O, vel P superne, ut in schemate. Tres Æ.r. 2. Tab. II. n. 21. 22.

Dubitari nequit de nexu duarum literarum, ut supra, quod jam praemonuit Cl. Barthelemyus, qui parvum o literae T imminere in uno, quo regium Galliae Museum ipse auxerat, suisque met oculis se vidisse testatur. In duo-

bus vero ex meis o distat a T, efficitque lit. P, in tertio vero eidem plane adhaeret. Hinc falsa deprehenditur Harduini opinio, qui litera T Vrbem Tiberiadem designari censuit, item ea Scip. Maffei, qui L. Γ jungebat cum T, et in utraque annum Ærae Selevcidarum CCCIII agnoscebat. Assentiendum vero Cl. Eckhelio D. N. V. T. III. p. 485., qui hosce nummos Herodi M. tribuendos statuit, contra aliorum sententiam, qui eosdem partim uni, partim alteri ex Herodis M. filiis, vel nepotibus adscribebant. Praeter rationes ab eodem allatas me etiam movet, ut ita judicem, forma literarum quadrata in eorum epigraphe, cum statim post Herodem M. in iis Archelaj, caeterorumque Judaicorum Principum constanter appareant literae, quae sunt lunatae formae, in hunc scilicet modum C, Є, et ω. Cum haec igitur ita se habeant ambigendum non videtur, quin suprascripti nummi ad Herodem M. sint referendi. Hinc consequens erit notis L Γ ejus regni annum tertium designari. Cum autem duplex illius initium docente Flav. Josepho statui consuevisset: unum ex quo Herodes a Senatu Romano, exeunte anno V. C. Varr. DCCXIV, Rex constitutus fuerat; alterum ex quo, vertente triennio, Vrbs Hierosolyma media aestate capta, atque a Sosio M. Antonii Legato Herodi tradita est, jure infero suprascriptos nummos post secundum Herodis regni initium signatos fuisse: in prima enim hypothesi ex Hebraeorum methodo a verno tempore computatione instituta, ut par est, annus regni tertius exiisset appetente vere anni V. C. Varr. DCCXVII, nondum scilicet Jerosolymorum Vrbe expugnata, quo tempore credibile non est Herodem de moneta cum annis regni sui feriunda cogitasse. Designant ergo suprascripti nummi partim annum V. C. Varr. DCCXIX, partim insequentem, ducto initio a verno tempore. Cl. Eckhelius cit. loco p. 486 scribit hosce nummos signatos fuisse A. V. C. DCCXVII, atque hunc fuisse regnantis Herodis

annum tertium, sed revera, ut dictum est, a mense Nisan An. V. C. DCCXVIII coeperat annus II regni Herodis, nec nisi post Neomeniam Nisan anni DCCXIX signari potuerunt hujusmodi nummi. De Herode M. ejusque rebus gestis, deque ejus regni annorum computatione vide, quae ex instituto a me allata sunt in lib. de Vulgaris Ærae Emend.

ARCHELAVS IVDAEAE ETHNARCHA

HPωΔOV. Botrus dependente ad latus pampino.

ЄΘNAP. Galea cristata, ad cujus latus parvus caduceus. Tres Ær. 3.

Nomen Herodis apud Eckhel. scribitur cum Ω contra fidem trium suprascriptorum numm., in quibus ω. Ex hoc ipso autem patet nummos istos tempore posteriores esse regno Herodis M. cum in ejus nummis epigraphe quadratis literis scribatur, ut paulo ante vidimus. Praeterea Ethnarchae titulus Herodi M. minime convenit. Hinc mihi haud dubium, quin amplectenda sit Cl. Maffei coniectura, qui in hisce mummulis Archelaum designari existimabat. Atque hunc revera ab Augusto Ethnarcham constitutum fuisse neminem latet. Singulis autem Herodis M. filiis patrium quoque nomen attributum fuisse constat. Plura vide apud Eckhel. D. N. T. III. p. 484.

HERODES GALILAEAE TETRARCHA

HPωΔOV T... APXOV Herodis Tetrarchae.

Palmae rami, atque hinc inde L ΛΓ Anno XXXIII

TIBЄ

PIAC in medio coronae. Ær. min.

Tab. V n. 84

Huic fere similem, sed secundae magnitudinis delineatum exhibet Pellerinius Reg. Tab. XVI. Notandum in his nummis annum XXXIII exprimi duabus notis inter se connexis ΛΓ, quod idem factum in simili nummo cum notis ΛΔ ad exprimendum annum XXXIV apud Barthelemium Harduinum, aliosque. Ex quo patet error P. Magnanii, ac caeterorum, qui has notas de anno XLIV Tetrarchiae Herodis Antipae interpretabantur.

ΓΑΙΩ
ΚΑΙΣΑ
ΡΙΓΕΡ
ΜΑΝ in medio laureae.

ΗΡΩΔΗϹ ΤЄΤΡΑΡΧΗϹ Palmae ramus, et hinc inde L ΜΓ Anno XLIII. Ær. 2.
Tab. II. n. 23.

Hunc praeclarissimum nummum, quem Museo Vaticano dicaveram, illustratum invenies in Opere de Vulg. Ærae Emend. p. 307, et seqq.

PHILIPPVS TETRARCHA

Caput Caesaris Augusti laureatum.

ΦΙΑ ..... retrograde. Templum 4 columnarum inter quas L Κ Θ An. XXIX. Ær. 3. Tab. II n. 24.

Annus iste nondum editus. Bini, qui innotescunt habent L. ΚϚ, et L. ΛΓ. In his nummis Philippum Tetrarcham principatus sui annos signasse pluribus demonstravimus in lib. n. de Vulg. Ærae Emend. Consule etiam Eckhel. D. N. T. III. p. 490. De imagine Augusti jam defuncti, sed viventis speciem referentis, nulloque consecrationis titulo adjecto habes exempla in nummis Agrippae II cum imagine Vespasiani, et Titi, tum in iis Ptolemaei Regis, qui ad Carthaginem novam Hispaniae Tarraconensis Coloniam merito referuntur. Templum tetrastylum illud esse, quod

Herodes M. juxta specum Vrbis Paneados in Augusti honorem extruxerat probabili conjectura ab eruditis infertur; nummos vero suprascriptos a Graecis eam Vrbem incolentibus, quaeque ad Philippum Tetrarcham pertinebat, signatos fuisse ambigendum non videtur.

AGRIPPA II. REX

ΒΑCΙΛЄωC ΑΓΡΙΠΠΑ Tabernaculum.

L ς Tres spicae. Sex aerei 3.

De hisce nummis, qui sunt omni ex parte Judaici, ut illi Herodis M., et Archelai, quod cujuscunque generis imaginibus careant Cl. Eckhelio assentior, quod Agrippae potius II sint tribuendi. Vide quae p. 493 ab eo afferuntur. Vtroque typo Tabernaculorum festa, atque primitiarum fruges designari putant Eruditi. Fuit iste Agrippa Agrippae I filius omnium Judaeae Regum postremus, qui a Claudio primum Chalcidis regno Herode vacuo donatus, postea ab eodem Philippi Tetrarchiam in Chalcidis locum accepit, denique parte Galilaeae a Nerone auctus, cum esset apud suos auctor pacis, excitato ab iis contra Romanos bello, arma cum iis Vespasiani conjunxit, a quo jam imperante in honore habitus ad extremum vitae suae regiam obtinuit dignitatem.

Alios hujus Regis nummos cum imagine Vespasiani, Titi, et Domitiani, notisque chronologis vide in serie Imperatorum. Hoc loco tamen subjicere lubet unum Domitiani peculiaribus notis insignem, cujus ope epochae cardo recte definitur, quod nondum praestitum, simul etiam caeteros omnes horum trium Imperatorum afferam ad diversa Epocharum initia illustranda, quas ab hoc Rege inductas fuisse constat.

IMP CAES DIVI VESP F DOMITIAN AVG GER COS X Caput Domitiani laureatum.

SALVTI AVGVSTI In imo S C superne ΕΠΙ ΒΑ ΑΓΡΙ In area hinc inde literis orizontalibus ΕΤ ΚΕ Anno XXV Ara. Ær. 2. Ejus schema in serie Imp. vide Tab. XVII. n. 91.

Nummum istum ex metallo, ex literarum forma, atque ex similitudine cum aliis pluribus, qui obvii sunt, et vulgares, compertum fit esse commatis romani. Eidem vero superadditam fuisse inscriptionem graecam Agrippae Regis, testis est ipse nummus, qui ob malleum superinductum aliquid detrimenti accepit; ejus enim area aversae partis concava apparet; ornamenta, quae ad valvas arae posita fuerant, et in nummis similibus latinis tantum conspiciuntur, evanuerunt: oppositae vero literae, ubi nomen Regis Agrippae adjectum fuit, depressiores, ac pene evanescentes leguntur. Atque haec quidem aptum praebent argumentum ad difficultatem solveudam, quam post Froelichium proponit Eckhelius Doctr. Num. T. III pag. 495 de notis S C, quae in hisce Agrippae numinis occurrunt, de qua tamen deinceps dicemus. Praestat nunc ejus epocham illustrare, quoniam unus hic nummus prae caeteris aptissimus ad ejus cardinem certo demonstrandum.

Vt autem id praestemus, comparandus hic noster nummus, qui nunc primum innotescit, cum altero hactenus edito apud Vaill., Froelich., Eckhelium, et ex Museo nostro Numism. Imperial. sub Domitiano, qui sic se habet:

IM CA D VESP F DOM AV GER COS XII Caput Domitiani laureatum.

ΕΠΙ ΒΑ ΑΓΡΙ ΕΤ ΚϚ S C Caduceus alatus; in aliis, ut in meo SALVTI AVGVST S C ΕΠΙ ΒΑ ΑΓΡΙ ΕΤ ΚϚ Ara.

Quo praemisso en demonstratio: Consulatus Domitiani X signat annum V. C. Varr. DCCCXXXVII; ipsius vero Consulatus XII annum V. C. Varr. DCCCXXXIX complectitur autem uterque integrum annum a Kalendis Januariis in postremum Decembris diem. Hinc necessario inferre

oportet epochae exordium nonnisi ab anno V. C. Varr. DCCCXIII ducendum esse, vel ab autumno, vel potius ex recepta, et a nobis jam probata Judaeorum methodo, a mense Nisan, sive a vere ineunte. Qua admissa, illud quoque sequatur necesse est, nummum nostrum signatum fuisse postremis novem mensibus anni V. C. Varr. DCCCXXXVII reliquos vero saepe jam editos prioribus tribus mensibus anni V. C. Varr. DCCCXXXIX. In prima vero hypothesi hosce quidem primis novem mensibus anni suprascripti DCCCXXXIX, nostrum autem postremis tribus mensibus anni DCCCXXXVII. Quibus demonstratis patet epocham hanc non recte constitutam fuisse in ann. V. C. Varr. DCCCXIV, ut Froelichius, ac deinceps Eckhelius ex nummo Domitiani cum Consulatu XII, et anno Regis Agrippae XXVI jure inferre se posse putaverant. Ac revera cum Consulatus Domitiani XII integrum annum DCCCXXXIX complectatur, annus vero Agrippae Regis XXVI partim uni, partim alteri anno consentiat, incertum adhuc manebat utrum epochae initium anno revera V. C. Varr. DCCCXIV, an vero praecedenti illigari oporteret, quae incertitudo ex nostro modo plane evanescit.

Jam ergo principii loco stet epocham, de qua agimus, ab ineunte vere anni V. C. Varr. DCCCXIII ducendam esse. Annus iste respondet imperii Neronis sexto labenti; illud enim inierat a. d. III Id Octobris anni V. C. Varr. DCCCVII. Ex Josepho Antiquit. lib. XX cap. 8 constat Tetrarchiam Philippi a Claudio Agrippae pro Chalcide cum regio nomine concessam, subinde a Nerone parte Galileae auctum fuisse. Id ergo labente anno V. C. Varr. DCCCXIII, vel certe ante vernum tempus insequentis anni evenisse statuendum erit, atque ob id ab Agrippa epocham in beneficii memoriam institutam fuisse, cujus exordium more patrio, in mensem antecedentem Nisan contulerit. Habes itaque certum hujus epochae cardinem, ejusdemque justam in-

stituendae causam. Quae cum ita se habeant, inquirere modo praestat de aliis plerisque notis, quae in nummis bene multis Regis Agrippae secundi occurrunt, quaeque cum hoc a nobis cardine definito minime consentiunt. Ad multiplex autem genus aeaedem referri possunt. Aliae enim in nummis occurrunt, qui vere, et soli Judaici dici possunt, quoniam omnibus signis, et imaginibus carent; aliae vero conspiciuntur in iis nummis, qui Imperatorum Romanorum imagines referunt. Primi generis sunt ii nummi, in quibus legitur ΒΑCΙΛЄѠC ΑΓΡΙΠΠΑ cum Tabernaculi symbolo; in aversa vero parte habes tres spicas, notasque L. E. ϛ. Ζ. Θ. plurimos ex hujusmodi nummulis et ipse nactus sum, quorum septem mihi servavi; omnes tamen unam notam ϛ referunt. Sed reliquae ab auctoribus probatae fidei describuntur. Merito censet Eckhelius Doctr. Num. T. III pag. 493 singulos hujusmodi nummos Agrippae secundo tribuendos esse ob similitudinem fabricae; cum enim nota Θ Agrippae primo convenire nequeat, quoniam ille Josepho teste Antiq. lib. XIX, nec non Philone de Legat. in iis Tetrarchiis, quibus a Caligula, tum a Claudio regio nomine donatus fuerat, septem tantum annos exegit, consequens fit caeteros quoque uni posteriori Agrippae potius adscribendos esse.

Ad alterum genus spectant reliqui omnes hujus Regis nummi, qui Principum Romanorum effigiem, et in aversa parte varia exhibent symbola, et figuras. Mirari autem subit, quod cum ille a Claudio primum ex privato ad regium fastigium evectus fuerit Chalcidis regno accepto; tum quinquennio post in ejus locum Philippi Tetrarchiam consecutus fuerit, ut etiam initio diximus; nulli tamen hactenus inventi fuerint nummi in ejusdem Claudii honorem ab eo dicati. Vnicum habemus Neronis, a quo parte quadam Galilaeae auctus fuerat, sed caret ille notis chronologicis. Reliqui omnes ad Vespasianum, ejusque filios Ti-

tum, et Domitianum pertinent, nec ea tempora excedunt, quamvis ille, referente Justo Tiberiensi, apud Photium Cod. 33. anno demum tertio imperii Trajani vitam cum morte commutaverit.

Praemittere autem hic oportet singulas notas, quae unicuique ex tribus commemoratis Imperatoribus conveniunt, pro ut ex nummis hactenus innotescunt, ut facilius inferre liceat quid de eisdem statui queat. Describendi autem sunt nummi singuli, nam id quoque prodesse poterit ad id quod quaerimus certiori ratione assequendum.

NVMMMI VESPASIANI

Caput Vespasiani omissa epigraphe.

BA. ΑΓΡΙΠΠΑ ΕΤΟΥΣ Ζ Anno VII Mulier stans d. spicas, s. cornucopiae. Ær. 3 Vaillantius.

Alius, sed ΕΤΟΥΣ Θ Anno IX. Ær. 3 Idem Vaill.

ΑΥΤΟΚΡΑ ΟΥΕϹΠ ..... ΠΙ ϹΕΒΑϹΤ.... Caput Vespasiani laureatum.

ΒΑϹΙ ΑΓΡΙΠΑ ЄΤ ΙΑ. An. XI Mulier stolata cum parvo tutulo in capite staus, d. binas spicas, s. cornucopiae. Ær. fere 1. meus.

ΑΥΤΟΚΡ ΟΥΕΣΠΑ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕ Caput Vespasiani laureatum.

L ΙΔ ΒΑ ΑΓΡΙΠ Anno XIV. Mulier stans, d. spicas, s. cornucopiae. Ær. 1. Catal. Theup. Froelich, alii.

Alius similis, sed L ΙΕ. Anno XV. Froelich. Notit. Element. pag. 227.

ΑΥ....... ΚΑΙϹΑΡΙ ϹЄΒΑϹΤꙌ. Caput Vespasiani laur.

... ΚΓ ΒΑ duabus lin. orizont.

ΑΓΡΙΠΠΑ Anno XXIII Mulier stans, ut in superioribus Ær. 1. meus.

ΑΥΤΟΚΡ....... ΚΑΙϹΑΡΙ ϹΕΒΑϹΤΩ Caput Vespasiani laureatum.

ETOV KϚ BA Anno XXVI
ΓΡΙ ΠΠΑ Mulier tutulata stans d. spicas sin. cornucopiae. Ær. fere 1. meus.

AVTOKPA OVЄCΠACIANω KAICAPI CЄBACTω. Caput Vespasiani laureatum.

ЄΤΟV K Θ BA AΓΡΙΠΠΑ Anno XXIX. Mulier stans, ut in superioribus. Ær. 1. Catal. Theup.

NVMMI CVM TITI IMAGINE.

AVTOKP TITOC......... Caput Titi laureatum.
L HI B A
ΓΡΙΠΠΑ Anno XVIII. Victoria gradiens cum corona. Ær. 2. meus.

Caput Titi epigraphe omissa.

BA AΓΡΙΠΠΑ ET IΘ. Anno XIX. Triremis. Ær. 3. Vaill.

Alius, sed ET K } Froelich. loco cit.
Alius, sed ET KA }

AVTOKP TITOΣ KAIΣAP. ΣEBAΣ Caput Titi laureat.
ETO KϚ BA AΓΡΙΠΠΑ. An. XXVI Victoria gradiens, d. coronam, s. palmam. Ær. 1. Catal. Theupol.

AVTOKP TITOC KAICAP CЄBAC. Caput Titi laur.
ETO KZ BA
ΓΡΙ ΠΠΑ Victoria gradiens, ut in superiori. Ær. 2. Froelich. Not. Elem. Tab. XX n. XII

NVMMI DOMITIANI

ΔOMIT........... Caput Domitiani nudum.
ЄΤΟ Θ BA AΓΡΙΠ Anno IX. Triremis. Ær 3. meus.

ΔOMITIAN.......... Caput Domitiani laureatum.
ETOV IΘ BA AΓΡΙ Anno XIX. Victoria, clypeo inscribens. Ær. 3. meus.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. Caput Domitiani laureatum.
ΒΑ ΑΓΡΙΠΠΑ ЄΤΟ ΚΓ. Victoria flexu genu inscribens clypeo. Ær. 3. Sestin. Descript. Num. Vet. p. 547. Froelich. loco cit.

ΔΟΜΕΤ ΚΑΙ ΓΕΡΜ. In meo ΚΑΙ.... ΓΕΡΜΑ Caput Domitiani laureatum.
ΕΤΟ ΚΔ ΒΑ ΑΓΡΙΠΠΑ An. XXIV. Victoria scribens, ut in superioribus. Ær. 3. Catal. Theupol., meus.

Alius cum consulatu X, Ε Τ Κ Ε An. XXV meus supra descriptus.

Alius cum consulatu XII ΕΤ Κϛ Ann. XXVI. Duo cornucopiae caduceo intermedio. Ær. 3. Vaillantius, aliique.

Alius, sed in aversa parte ara. Ær. 2. Catal. Theup. meus.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙΣΑΡ... Caput Domitiani laureatum.
ΕΤΟ Κϛ ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ An. XXVI. Victoria scribens, ut in superioribus. Ær. 3. Mus. Cusiner. Catal. Theupol. mei duo.

Caput Domitiani epigr. omissa.
ΕΠΙ ΒΑ ΑΓΡΙΠ ΕΤ ΚΖ An. XXVII. Duplex cornucopiae decussatim. Ær. 3. Vaillantius.

ΔΟΜ.... ΚΑΙϹΑΡ Caput Domitiani laur.
ΕΤΟ ΚΖ ΒΑ..... Victoria in clypeo scribens, ut in superioribus. Ær. 3. meus.

ΔΟΜΕΤΙ ϹЄΒΑϹ ΓЄΡΜΑΝΙ. Caput Domitiani laureat.
ΕΤΟ ΚΘ ΒΑ ΑΓΡΙΠΠΑ An. XXIX. Victoria gradiens, d. coronam, s. palmam. Ær. 2. Catal. Theup.

Alius, sed ΕΤΟ ΘΚ ΒΑ ΑΓΡΙΠ Anno XXIX. Triremis Ær. 3. Vaillantius.

Alius, sed ЄΠ ΒΑϹΙ ΑΓΡΙΠ ΕΤ ΛΕ Anno XXXV. In corona laurea. Ær. 3. Harduinus.

Hisce addendi sunt bini alii ejusdem Agrippae nummi,

qui ejus pariter regni annos certo designant; sunt autem qui sequuntur:

ΒΑCΙΛЄωC ΜΑΡΚΟΥ ΑΓΡΙΠΠΟΥ Dextera, qua retinentur spicae, et papavera.

ЄΤΟΥC ΑΙΤΟΥ Anno XI. Pell. sup. 1. p. 1.

ΒΑ. ΑΓΡ Caput turritum.

ΕΤ ΔΛ An. XXXIV. Cornucopiae. Ær. 3. Pell. Rec. Tab. XVI.

De initio regni Agrippae II, quando a Claudio Caesare anno V. C. Varr. DCCCI Chalcidem in defuncti Herodis locum accepit, consulendus Historicus Hebraeus Antiq. lib. XX 1. 8. Eundem vixisse usque in tertium imperantis Trajani annum apud Justum Tiberiensem legitur, ut superius jam innuimus. Hinc patet notas ΔΛ, et ΑΕ in tam diuturno Agrippae regno locum habere. De modo scribendi annum XI, ut supra ΑΙΤΟΥ, habes exempla tum in nummo Cleopatrae apud Pell., qui sic se habet ЄΤΟΥC ΚΑΤΟΥ ΚΑΙ C, tum in pluribus Ægyptiis apud Zoegam, meisque. Notandum etiam in aliquibus ex hisce nummis quo ad epocham praemitti minorem notam, ut in meo Titi L ΗΙ, in altero Vaillantii ΕΤΟ ΘΚ, in postremo denique Pellerinii ΕΤ ΔΛ. Quibus praemissis de singulis notis quid definiri queat videamus.

Notae Ζ, et Θ in Vespasiano cum ejus imperii tempore conciliari nequeunt sive ab accepto regno a Claudio ducantur, sive etiam ab Epocha Neroniana, idque praesertim, quod non ab anno V. C. Varr. DCCCXIV, ut communis ferebat opinio, sed a praecedenti inchoanda sit, ut paulo ante fuse demonstratum est. Froelichius suspicatur hujusmodi nummos male a Vaillantio lectos, et in utroque nummo scriptum fuisse ΙΖ; ΙΘ. At quaeso quis consentiat tantam extitisse Vaillantii oscitantiam in hujusmodi legendis nummis? Certe meus Domitiani cum ЄΤΟ Θ nullam habet, nec habuit unquam notam praecedentem, et in

easdem nos conjicit difficultates, a quibus Froelichius ea ratione facile emerserat. Itaque ut de Domitiani nummo, ita et de duobus Vespasiani alia ineunda via, ut ipsis apta aliqua explicatio afferatur. Nullus autem alius aptior evadendi locus, praeterquam asserendo novam ab Agrippa secundo epocham institutam fuisse ab inito Vespasiani imperio. Notum siquidem est referente Josepho cit. superius loco, Agrippam orto jam in Judaea bello adversus Romanos, auctorem genti suae fuisse, ut arma deponerent; nihil autem eo proficiente, ad partes Vespasiani transiisse, eumque conscripto milite juvisse. Ex quo factum, ut gens Flavia, quamdiu imperium tenuit, Agrippam magno in honore habuerit, ac beneficiis affecerit. Nil mirum ergo, si Nerone interfecto, atque hoste judicato, eam epocham intermiserit Agrippa, novamque instituerit a die natali imperii Vespasiani. Quo posito annus Z, *septimus* coeperit oportet revertente vere anni V. C. Varr. DCCCXXVIII; annus vero Θ, *nonus* vere ineunte anni DCCCXXX, Vespasiano imperante, ac Domitiano adhuc Caesare, quemadmodum nummus ipsius, ejusque praeterea juvenilis imago testantur.

Nota IA tam ab epocha Neroniana, quam ab die natali imperii Vespasiani duci potest; in hac enim secunda hypothesi annus XI coepisset verno tempore anni V. C. Varr. DCCCXXXII: Vespasianus autem supremum diem obiit a. d. Id. Septembris ejusdem anni.

Notae denique KΓ, et KΘ, si ab epocha Neroniana ducantur ostendunt nummos hujusmodi percussos fuisse post Vespasiani mortem. Atque hanc sententiam amplexi sunt Froelich., et Eckhelius, quem vide Doctr. Num. T. III p. 495; idque factum putant in honorem gentis Flaviae, et grati animi causa. Quae quamquam optima sit conjectura, atque domestico Philippi Tetrarchae exemplo confirmari possit; video tamen alia ratione eas notas, nec inepte, explicari posse, quae ad tempus ipsius Vespasiani imperantis

referantur. Vidimus enim supra Agrippam II in moneta sua regni annos computasse, ex quo primum Chalcidem ab imperante Claudio cum regio nomine obtinuerat. Nihil itaque absonum, quod etiam in nummis Vespasiani, et Titi epocham a primo illo cardine aliquando notare potuerit. Quo posito notae KΓ secundum imperii annum Vespasiani, notae vero KΘ octavum complecterentur.

In nummis Titi difficultatem aliquam parere posset praenomen AVTOKPAT, quod initio inscriptionis, non in medio, tam in primo cum notes HI, quam in caeteris omnibus, quorum epigraphe nobis perspecta est, occurrit. Proprie enim loquendo eidem convenire nequit, quemadmodum nec titulus Augusti, nisi postquam solus imperii habenas tenuit. Sed animadvertendum id quidem sancte servatum fuisse in nummis commatis Romani, non autem in iis provinciarum, quod probatur exemplo Vrbium Ægypti, tum ipsius Judaeae, aliarumque Graecarum, de quibus vide etiam Eckhel. D. N. V. T. VI pag. 361. Quibus positis notae HI, IΘ, K, et KA partim extremum Vespasiani imperandi tempus, partim vero ipsius Titi imperium complectuntur, instituta computatione ab epochae Neronianae cardine. Notae vero Kς, et KZ, si ab eodem cardine ducantur ad tempus Titi jam defuncti referendae; si vero, quod nil obstare videtur, a prima epocha, de qua supra dictum est, numerentur, superstite adhuc Vespasiano nummos editos designabunt.

Quo ad Domitianum denique spectat: de nota Θ nihil hic addere oportet ad ea, quae paulo ante in Vespasiano animadvertimus.

Notae IΘ recte conciliantur tam ab epocha Neroniana, Domitiano adhuc Caesare, quam ab ineunte imperio Vespasiani, Domitiano jam Augusto.

Reliquae KΓ, KΔ, KE, Kς, KZ, KΘ, ΔA, et AE ex Neroniana quidem omnes ejusdem Domitiani imperandi

tempus complectuntur; ab initio vero imperii patris quinque tantum primae.

Postremo loco animadvertere praestat nummos omnes hactenus descriptos, qui Principum Romanorum imaginem referunt non ab ipso Rege, vetantibus id Judaicis legibus, sed ab Vrbibus, populisque signatos fuisse, qui concedentibus Claudio, et Nerone ejus potestati subjecti fuerant. Hinc etiam non incommode explicari potest, cur alii Neronianam epocham praetulerint; alii vero Claudianam adamaverint, quae eadem cum annis ipsius regni; denique cur quidam etiam suam inchoandam decreverint ab natali die imperii Vespasiani. De praepositione ΕΠΙ, quae non semel legitur in hujusmodi nummis nihil habeo, quod sentiam, nisi forte asserere placeat eos populos, a quibus nummi editi fuerant, expressius indicare voluisse, se sub potestate Agrippae Regis constitutos.

MACEDONIAE REGES

PHILIPPVS ARIDAEVS

Cum de Philippo II Alexandri M. patre, de eodem Alexandro, et Aridaeo fratre ingens numerus editus fuerit a Cl. Viris, quibus postremo magnam accessionem fecit Cl. Sestinius ex Museo Cusineriano in lib. Descript. Num. Vet. nihil ex meis rivulis peculiare occurrit, quod edendum censeam. Vnum tamen Aridaei nondum editum, qui prae caeteris eidem adscribendus videtur, hoc loco minime omittendum duxi. Est autem hujusmodi:

Caput Herculis juvenile leonis exuviis tectum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ Α ΦVΛVΕΣΟV Eques facie juvenili gradiens d. elata. In area N, et M. Ær. 3. Tab. II n. 25.

Iste nummus, in quo literae ΠΠ in nomine Philippi inverse insculptae conspiciuntur, et secunda, et quarta ef-

feruntur per V, loco I ex eorum genere esse videtur, qui, ut animadvertit Eckhelius, barbare in montanis Illyrici, et mediterraneis Thraciae Vrbibus percussi censeri debent. Quomodocumque res se habeat lit. A interjecta in epigraphe capitis peculiaris, quae interpretanda videtur, de *Artdaeo Philippo* III Alexandri M. fratre.

CASSANDER REX

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum.

ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. Leo procumbens Ær. 3. Tab. II. n. 26.

In hoc nummo regium nomen omittitur, quod tamen in sequenti adiectum videbis.

Caput Apollinis laureatum.

ΚΑΣΣΑΝΔΡ..... ΣΙΑ... Tripus. In area superne Σ. Ær. 3. Tab. II. n. 27.

Cassander Antipatri filius extitit, cui Alexander M. expeditionem in Persas suscipiens Macedoniam regendam commiserat, quam etiam integre, fideliterque administravit. Eodem in extrema senectute e vivis abeunte Cassandrum filium omiserat; is tamen armis regnum illud sibi asseruit, diuque retinuit, sublatis omnibus, qui ad Alexandrum M. atque ad Heraclidarum Regum stirpem pertinebant. Regis titulo initio abstinuit, ut ex primo nummo fit manifestum, quem tamen deinceps admisit, ut nummus secundo loco descriptus, aliique editi testantur.

EVPOLEMVS DVX CASSANDRI MACEDONIAE REGIS

Bina scuta Macedonica, tertio vix apparente, sibi invicem coniuncta aream occupant.

ΕΥΠΟΛΕΜΟΥ Pharetra, taeniis dependentibus, erecta super basim, ad cujus d. parva bipennis. Ær. 3. Ex Mus. olim Verità, nunc Mellingen.

Eruditiss. Sestin. Epist. T. V. pag. LXV, tum Descript. N. V. p. 163 nummum sequentem ex Mus. Cusineriano refert.

Scuta tria in orbem composita X ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟV. Basis cum columna acrostolio ornata, cui figura insistit: in area monogramma constans literis ΑΠΕΙΡ, vel ΕΠVΡ, ut cit. Epistolarum loco.

Notat autem apud Haym. Tom. II Tab. VII. n. 7. haud recte descriptum, delineatumque exhiberi nummum hujusmodi: *Tria sibi imposita scuta*.

)(ΕVΠΟΛΕΜΟV *Pharetra*. Quod confirmat cit. Descript. N. V. p. 163, subiungens: in altero simili Haymiano Musei Verità pariter legi, ut in Cusineriano ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟV. Verum, pace Cl. Viri, aliter res se habet, eumque in errorem abreptum fuisse video ex nummo ipso Mus. Verità, quem ante oculos habeo, et in quo clarissime legitur unica linea ad d. Pharetrae: ΕVΠΟΛΕΜΟV nulla initio, vel in medio deficiente litera in nummo, qui est integerrimus. In eo Haymii nomen Eupolemi duabus lineis paralellis scriptum legitur: hinc duplici teste ejus nominis lectio praeclare confirmatur, ut de ea nulla suspicio, vel dubitatio jure locum habere possit.

Itaque haud equidem quaestionem habebo de recta Sestinii lectione quo ad nummum Cusinerianum, illud merito affirmo in hoc nunc Musei Mellingen, olim Verità, legendum, ut supra ΕVΠΟΛΕΜΟV: Aversam quoque partem ea continere, quae supra descripsi, a quibus, utrum sint diversa ea nummi Cusineriani valde suspicor. Cl. Haymius de celebri Athleta Eupolemo in ludis Olympicis saepe victore in suo mentionem esse suspicatur; probabilius vero de altero Eupolemo illustri Cassandri Macedoniae Regis Duce, a quo copiarum Praefectus in Graecia relictus fuerat, dum ille ad Macedoniam adversus Antigoni conatus tutandam ex Evboea advolasset. Nec obstat alium etiam

ejusdem nominis *Eupolemum* intelligere, qui in eodem regno Macedoniae, vel in aliqua ejus parte regimen, ac principatum delibaverit, licet nulla modo extet ejus rei memoria, tot amissis rerum vetustissimarum, et historiae monumentis.

ANTIGONVS GONATAS

Caput Palladis galeatum.

Vir nudus imberbis caudatus, ac turgentibus in fronte binis cornibus tropaeo coronam impositurus stat curvato parumper pede sinistro. Hinc inde in area
B A
T Γ, atque intra pedes Satyri, vel Panis monogramma ΑΝ Antigoni nempe, et supra lit. T flos loti, ut videtur. Ær. 3. Tab. II. n. 28.

Omnia consentiunt, ut hunc, similesque nummos praeeunte Cl. Eckhelio ad Antigonum Gonatam referamus. Nam praeter argumenta a Cl. Viro allata D. N. V. Tom II. pag. 125, accedit etiam testimonium praeclariss. Cusinerii, qui mihi affirmabat hujusmodi nummos in Macedonia inveniri, quorum ipse magnum numerum possidet. Adde nexum Macedonum Regum non infrequentem, denique Panis Dei cultum, de quo testis argenteus tetradrachmus cum integra epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ apud laud. Eckhelium, aliosque. Tropaeum in aversa parte merito in honorem Dei Panos ab Antigono erectum cum eodem Auctore censeri potest, quod Gallorum exercitus cum Duce Brenno ad diripiendum Apollinis Delphici Templum venisset, nulla interveniente humana causa, inopinato terrore perculsus, totus plane dispersus, ac internecione deletus fuerit, qui terror propterea merito panicus, sive a Deo Pane immissus extiterit, sicque vulgo creditus. Quo beneficio accepto, et Graecia universa liberata fuerit, et

ipse Antigonus paternum regnum recuperaverit. Qui tamen Tropaeo coronam offert non ipsum Deum Pana, sed aliquem ex ipsius ministris esse cogitandum est.

Caput Herculis juvenile exuviis leonis tectum.

B. Eques nudus d. elata gradiens. In imo monogramma ΑΝΤ ANTigoni. Ær. 3.

En aliud monogramma praecedenti simile. Apud Sestinium vero Descript. N. V. pag. 139 cum utroqne typo integra affertur epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. Confirmantur itaque mirum in modum quae de superiori monogrammate diximus, tum nullum amplius relinquitur dubitandi locus, quod uterque ex his nummis, caeterique similes Antigono Gonatae Macedoniae Regi adscribendi sint, non autem Antipatro Cassandri F. quae fuerat olim Liebii opinio.

DEMETRIVS II.

Scuta Macedonica in orbem disposita, et in medio monogramma ΔΗΜ, quod de Demetrio interpretari solet. Sic enim resolvitur ΔΗΜΗΤΡ

ΒΑΣΙ Galea intermedia cristata. Ær. 3.

Mira consensio inter Antigoni I nummos, et hunc Demetrii, aliosque a Sestinio descriptos, inter quos cum utroque pariter hoc typo, loco monogrammatis integre legitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ.

Demetrius iste fuit Antigoni Gonatae filius, ejusque in regno Macedoniae successor, Antigonus vero ex Poliorcete genitus, de quo vide sub Asiae Regibus.

MAVRETANIAE ET NVMIDIAE REGES

IVBA II REX

XƎЯ .I Caput Jubae II Mauretaniae Regis diadematum. POLLIONE TER LAB...... B.... Epigraphe partim recto ordine scribitur, partim inverso, in ambitu, et intra sellam curulem. Ær. 3. Tab. II. fig. 29.

Supple *Pollione tertium Labeone iterum II VIR*. Quamvis nomen Regis scribatur per simplex I, fabrica tamen nummi, sella curulis, duumvirûm tandem epigraphe ipsa suadent Jubae II Regi eundem adscribendum esse. In altero ejusdem Jubae II Cn Atellius Duumvir Q. cum eodem Rege nominatur. In hoc, qui nunc primum innotescit, non idem Rex Duumvir dicitur, sed bini illustres viri, qui, ut arbitror, ad Fabiam, et Asiniam Romanas familias pertinebant. Sub Augusto cusus nummus, et apud Carthaginem novam, quemadmodum alter Ptolemaei ejus filii, qui sequitur. Ejus regni fines recte jam a Numismaticis constituti. Nam Dione teste lib. LI constat Jubam II post Actiacam victoriam, et M. Antonii interitum paternum ab Augusto regnum accepisse, nuper autem defunctum fuisse testatur Auctor synchronus Strabo, cum ille operi suo supremam manum imponeret, quod contigit circa ann. V. C. Varr. DCCLXXII. Cum vero superstites nummi signent annum ejus regni postremum R. XXXXVIII, nec posterior alter hactenus in lucem prodierit, merito infertur ejus regni initium constituendum circa annum V. C. Varr. DCCXXIV.

PTOLAEMEVS REX

REX
PTOL in medio coronae. In ambitu vero nummi.
G. LAETILIVS APA ..... Supple APALVS, II. V. Q. ut in aliis jam editis.
AVGVSTVS DIVI F Caput juvenile Aug. nudum. Ær. 3. Tab. II. n. 30.

Illud imprimis notandum Laetilii praenomen in hoc nostro clarissime efferri per lit. G. non autem per C, ut apud Froelichium, Eckhelium, aliosque. Secundo nummum hunc cusum videri apud Carthaginem Novam Hispaniae Tarraconensis exemplo patris Jubae II, quem ejus Coloniae II VIRum Quinquennalem extitisse docet insignis lapis apud Sponium, et Bellejum, quem ab Eckhelio quoque editum reperies T. IV. D. N. V. p. 153. Quando autem ex monetariis officinis prodierit in obscuro versatur, neque conjecturis laud. Eckhelii acquiescendum puto, quod Ptolemaeus superstite Augusto regni consors cum patre esse potuerit, vel quod filii Regum quandoque Reges appellarentur. Nam quo ad hoc secundum veteres quidem Auctores id licenter fecisse negari nequit, sed publica omnis generis monumenta, in quibus vocabula castigatius inscribebantur, nullum tale exemplum offerunt, quod sciam. Quo ad primum vero, cum Augusti facies admodum juvenilis exhibeatur in hujusmodi nummo, ad ipsa initia regni a patre accepti revocandus esset, quo tempore Ptolemaeus, vel nondum natus, vel adhuc infans esse debuit. Illud itaque veritati magis consentaneum videtur, si asseramus nummum, de quo sermo est, a Carthagine nova, sive ab alia qualibet Colonia ipsi Ptolemaeo forte subiecta percussum fuisse Augusto jam vita functo in beneficiorum memoriam, quibus ab eo affecta fuisset. Id etiam originem ex eo habere potuit, quod

Ptolemaeus fil. regnum haereditate sibi a patre relictum uni Augusto acceptum referre deberet. Sed quaecunque fuerit causa, cum factum teneamus, causam intercessisse necesse est. Neque id caret exemplis: Philippus Herodis M. filius Tetrarcha Itureae post mortem patris ejus ab Augusto constitutus, ipsius Augusti dudum etiam defuncti imaginem, pariterque, ut in hoc Ptolemaei, juvenili facie signavit sine ullis apotheoseos indiciis, ut probant ejus nummi cum notis chronologicis L KϚ, L KΘ ex meo anecdoto, atque cum L ΛΓ, quorum postremus XXXIII respondet anno V. C. Varr. DCCXXCIII, sextodecimo nempe ab obitu Augusti. Neque suspicari fas est notas suprascriptas ab Æra Actiaca numerandas esse. In hac enim hypothesi nummus primus cum L KϚ, anno XXVI, signatus fuisset anno V. C. DCCXLIX, nondum Herode patre mortuo, ac tres inter ejus filios diviso regno ab Augusto, quod factum est anno sequenti V. C. DCCL, ut a me fuse probatum in Lib. de Vulg. Ær. Em. Mitto alia plura similia exempla imaginum, quae in nummis insculptae fuerunt post mortem in honorem Divi Julii, ipsius Augusti, ac denique, ne plura commemorem, Vespasiani, ac filiorum ejus, de quibus vide paulo supra.

De annis, quibus regnavit Ptolemaeus res est expedita. Successit enim patri circa annum V. C. Varr. DCCLXXII, ut in Juba secundo probavimus. Initio imperantis Caligulae Romam evocatus, ex ipsius Imperatoris insidiis interficitur. Modo vero apud Sestinium Tom. V Epist integra habetur series ejus numismat. arg., quae Eckhelium latuit, cum annis a I. ad XVIIII. Ejus igitur vivendi, ac regnandi finis constituendus circa An. V. C. DCCXCI, vel sequentem.

OSRHOENAE REGES

ΚΑΙϹ Λ. ΚΟΜ..... ΟϹ Caput Commodi laureatum.
ϹΙVЄVϹ (sic inverse) ΑΒΓΑΡΟVΚγ (sic) Caput barbatum Abgari mitra tectum in conum desinente. Ær. min. Tab. II. n. 31.

Regni Osrhoenorum qui Abgari dicti sunt, ab Osrhoe apud Edessam in Mesopotamia erecti, quod a Caracalla extinctum sub Gordiano revixerat, historiam ex nummis illustratam scripsit Sigefridus Bayerus. Horum etiam Regum catalogum exhibuit Cl. Wisius adiectis nummis, ac postremus omnium Eckhel. D N. T. III. p. 511, qui omnes consulendi. Commodi nummus iste rarissimus, ejusque inscriptionis lectio satis implicata. Sed ex vultus etiam lineamentis Commodus ipse clare dignoscitur.

... ΤΟΚΡΑ ϹЄΟVΗΡΟϹ (retrograde scriptum). Caput Septimii Severi laureatum.
ΑgΓΑΡΟϹ (sic inverse secunda lit. Β) ΒΑϹΙ .... Caput Abgari mitra oblunga ornatum, ante faciem sceptrum. Ær. 2.

Alius .... ΚΡΑΤΩΡ ϹЄΟVΡΟ.. Capite laureato.
.. ϹΙΑЄΟϹ ΑΒΓΑΡΟϹ Caput Abgari cum mitra, in qua luna falcata, et astrum. Ær. 2.

Tertius ...... ϹЄΟVΗΡΟϹ Capite laureato.
...... ΑΒΓΑΡΟϹ Caput Abgari Ær. 3. Tres hujusmodi nummos delineatos vide Tab. II. n. 33. 34. 35.
Primi facies admodum senilis, reliquae florenti magis aetate.

Alii septem ejusdem Septimii Severi, ejusdemque Abgari Regis. Epigraphe horum nummorum non eadem in omnibus, et in aliquibus etiam mire deformata, et solis consonantibus lit. exarata; retrograde in aliis scripta etc. En exempla quaedam: In uno recto quidem sensu ΑVΤ ..

Λ CЄOVHbOC, et in aversa parte ACI CЄV ABΓAPOC B, idest BACIΛЄVC CЄVHPOC ABΓAPOC. In alio integra epigraphe BCAC OACO, et in adversa parte (retrograde) ЄVH .... In isto Abgari mitra undique margaritis ornata, et in area pone mitram M. Sequitur alter, in quo nullis deficientibus literis CPATOV CЄOΛHPO (retrograde), et in aversa parte .... ACIAЄ ABIA. Denique peculiaris iste .∴.. APOC B ANTωNEI, et retrograde scriptum nomen Severi. *De Abgaro Antonino* vide lapidem apud Bajerum, qui nummi lectionem confirmat. Facies Regis in plerisque cum promissa barba, in aliquibus tamen cum modica tantum. Imago quoque Septimii Severi diversa in singulis fere, ita ut ex lineamentis, quaedam ad M. Aurelium, vel L. Verum referendae viderentur, nisi epigraphe obstaret.

De regali vero in singulis vultu, cum plerique horum nummorum faciem Regis Abgari admodum senilis aetatis cum promissa barba, alii vero pauciores Regem in florenti aetate, et modica eum barba exhibeant, consequens videtur sub imperio Sept. Severi non unum tantum illud regnum tenuisse, sed filio seniorem patrem locum aliquando dedisse. Hinc praeter nomen Antonini notandi, quos delineatos dedimus Tab. cit.

AVTOK K M ANT ΓOPΔIANOC. In aliis CЄB. Caput juvenile Gordiani Pii laureatum ad lineamenta accedens Gordiani jun. Africani, ut etiam in latinis occurrit, atque id in primo; in caeteris vero ejus propriam referens imaginem vel laureatam, vel radiatam cum astro ante pectus.

BACIΛЄVC ABΓAPOC Caput Regis Abgari pene imberbe in primo, in caeteris conspicue barbatum. Pone astrum, exceptis primis duobus. Novem Ær. 2. et 3.

Ex dictis patet primum nummum in ipsis imperii auspiciis Gordiano dicatum.

PARTHORVM REGES

Caput Regis barbatum, et diadematum cum stola ad pectus, et crispata in quatuor ordines caesarie.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚ ... ΕΥΕΡΓΕ.. ΕΠΙΦΑΝΟΥ.. ΦΙΛΕΛΛΗ... ΔΙΚΑΙΟ.. Mulier stolata, et turrita gerens s. cornucopiae, d. palmae ramum offert Regi sedenti. In area inter utramque figuram ϛΠΣ Anno CCXXCVI. Arg. m. Tab. II n. 35.

Inter primos recensendus, qui epocham continent. Ad Arsacem XV Phraatem IV a Numismaticis refertur.

Caput Regis barbatum, et tiara parthica tectum pone B. Mulier turrita, et stolata Regi sedenti coronam offert. ..... literae incertae...... ЄΠΙ.. et in area superne ЄΚΦ Anno DXXV. Ær. 2. Tab. II n. 36.

Nummus magnitudine tetradrachmalibus argenteis aequalis, qui licet aereus, spectabilis, quod annum contineat iste majorem omnium, qui hactenus editi fuerint. Apud Sestin. Epist. Num. T. II. p. 71 tres, qui describuntur ex Mus. Ainsel. sub Artabano IV Regum ultimo habent annos ΑΚΦ, ΓΚΦ, et ΔΚΦ, pariter apud Eckhel. D. N. T. III p. 540 sub Volagase forte IV, Cl. Barthelemyi nummus ex Museo Vaticano illustratus innuitur cum notis chronol. ΔΚΦ. Agmen itaque claudit hic noster eorum, qui epocha notati hactenus innotescant. In tanta vero opinionum discrepantia de Æra Parthica, ejusque cardine necesse non est, ut hic plura congeramus. Expectanda enim uberiora monumenta, quorum subsidio proficere fas sit in ejus cardine definiendo, singulisque Regibus recto ordine disponendis. Vnum hic animadvertam, quod etiam si calculos praeferas Sestinii, qui posteriorem omnium annum selegit pro Parthicae epochae cardine, annum scilicet V. C. Varr. CDLIII; tamen

computationem notar. ЄΚΦ. recte procedere. Veteres enim Scriptores consentiunt Artabanum Regum Parthorum ultimum interfectum fuisse ab Artaxerse anno V. C. Varr. CMLXXIX, qui fuit imperii Alexandri Severi IV. Annus autem ЄΚΦ initio Ærae ducto ab anno V. C. Varr. CDLIII finem habuisset autumno an. V. C. Varr. CMLXXVIII. Juxta vero Eckhelii calculos, sive Pellerinii, et Barthelemyi in decennium retrahenda forent ratiocinia, et ad alium Regem fortasse referendae notae chronologicae. Nam Artabani IV regnum ad decennium minime pervenisse videtur. Vid. Dio Hist. l. LXXVII. Vide etiam Eckhel. loco cit. p. 540.

Cum haec proelo jam subjicienda essent, Berolino a Cl. Sestinio accepi suarum Epist. Tom. VIII, in quo pag. 129 ipsius Artabani IV refert num. arg. 1. cum eisdem notis sic: ΑΡΣ.... ΕΠΙ supra ЄΚΦ.

ARTABANVS REX SOTER

Caput Regis barbatum, et diadematum a vertice ad occiput fluentibus, ac in totidem veluti cylindros contortis, crispatisque capillis.

ΒΑΣΙΛ...

ΑΡΤΑΠΑ...

.ΣΩΤ....

Ε....... Vir nudus caput habens tiara ornatum rupi insidens, d. arcum, laeva manu eidem scopulo innititur. Supernе in area ante faciem monogramma ΑΠ°. In imo nota Ε, reliquae incertae. Arg. infimae notae I formae. Tab. II. n. 37.

Dolendum quod hujus generis nummi a vetustate temporum male habiti hactenus inventi sint. Primus notissimus est ob celebrem controversiam inter eruditissimos Viros Corsinium, et Froelichium de ejus lectione exortam, cum uni sibi legendum videretur ΜΙΝΝΙΣΑΡ, alteri vero

ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ. Secundus quo ad utrumque typum primo non absimilis describitur ab Eckhelio D. N. T. III p. 562. Sed hunc Cl. Auctor, dum ea scriberet in Museum Caesareum a se collocatum ambiguam epigraphen continere testatur, ut nullo adjumento esse queat. In primo vero, quem Doctiss. Abbas Barthelemyus ex Museo Stoschiano regio Galliae Thesauro intulerat, ac deinde aeri incisum Eruditorum oculis subjecit, anteponenda videtur Froelichii lectio, quo ad nomen Regis ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ. Vide singularis illius nummi figuram B. L. T. XXXII p. 671. et ejusdem Froelich. Ad Numismata Regum veterum Accessio nova p. 35, tum apud Corsinium. Accedit nunc tertius hic noster, in quo cum adversae partis imago cum ea regii numismatis plane consentiat, posterior item pars quo ad figurae sedentis, et literarum dispositionem conveniat, plura tamen offert discrimina in schemate videnda, quaeque hic breviter notanda duco. Atque imprimis Figuram nudam, quae sedet, satis barbatam, ac cidari parthica ornatam video: praeterea quod eadem Figura in nostro d. manu gestat leniter inflexum est; ita ut a vero aberrare minime existimem, si in eo arcum agnoscam: monogramma quoque non est in nostro Α intra quadratum, sed ͡ΑΡ, ut supra. Prima nota denique est Ε, duarum vero sequentium vestigia, quae supersunt, exhibere videntur notas ΑΤ.

Sed quod maxime interest Regis nomen ab utraque lectione hactenus a Cl. Viris proposita plane diversum est. Prima sine dubio est lit. Α, quae clarissime inscripta cernitur. Sequitur lit. Ρ coniuncta cum lit. Τ, habet enim superne lineolam transversam in extremo aliquanto crassiorem, ut designandae lit. Ρ posita videatur. Sit tamen, si dubites, lit. Τ, vel conjuncta cum altera lit. Π: nihil est aliud praeterea, quod exprimere possit. Sed notandum binas lineolas perpendiculares nimium inter se distare, quam necesse foret, ut una lit. Π exprimeretur. Reliquum est

igitur, ut binae potius literae agnoscantur PT, vel duplex TT. Tres quae sequuntur literae AΠA satis conspicuae sunt. Itaque mihi quidem legendum videtur APTAΠA, sed cui alia lectio potius arrideat, nonnisi epigraphen sic interpretari poterit ATTAΠA, vel AΠAΠA. Admissa porro quacunque hypothesi clare patet nomen Regis in hoc nostro diversum esse ab eo Adinnigai, et Minnisari, ut est quoque epocha, quae incipit a nota breviori E, non autem a nota Γ, ac insuper opposito ordine scripta agnoscitur, quamvis ex vestigiis biennio tantum ab altera differat. Nomen Regis in hoc nostro, ut dictum est, legendum mihi videtur APTAΠA, quam quidem vocem interpretandam censerem de ARTAPANO, vel ARTAPAZE. Neque obstare arbitror, quod haec nomina apud veteres Historicos scribantur per lit. B; notum siquidem est, quantum haec barbarorum Regum vocabula ab exteris Graecis, vel Latinis varie corrumperentur: *Artabazes*, ex. g. aliis appellatur *Artabasdes*, aliis *Artuasdes*. *Vologases* constanter scribitur in nummis; apud Scriptores vero *Vologeses*. Mitto alia id genus exempla. Cl. Eckhelius hujus generis numismata in Bactriana signatos fuisse existimat D. N. p. 559. Illud pro certo statui posse censeo: hosce nummos, quamvis signa, cultumque a Parthorum Regum moneta minime abhorrentem contineant; tamen ob vocem ΣΩΤΗΡΟΣ; quae nusquam in ea legitur, tum etiam ob ipsorum nummorum fabricam, et metallum ab ea quidem segregandos; sed jure alicui ex provinciis Parthico regno subjectis esse adscribendos. Nam, ut recte jam praemonuit Cl. Barthelemyus: *Erant in Armenia, Mesopotamia, et toto Parthorum imperio Dynastiae plures, quarum Principes suo nomine pecuniam signaverunt.*

PONTI REGES

MITHRIDATES VI EVPATOR DIONYSVS

Ponti primum, deinde et Bospori Rex.

Caput Mithridatis Regis diademate ornatum.

BACIΛЄωC MIΘPAΔATOV EVΠATOPOΣ Cervus pascens. In area HΣ An. CCVIII Arg. 1.

Ex Mus. Equit. Rushout ex proceribus Northuvick horum studiorum amatoris eximii.

Hactenus in editis hujus Regis nummis, quorum series videnda apud Froelich. Not. Element. Cap. VIII, p. 154, et apud Eckhelium Doctr. N. Vet. T. II p. 366, notae chronol. incipiunt ab ΘΣ, idest ab anno epochae CCIX. desinunt in ΔKΣ, an. nempe CCXXIV. Deinceps ergo inchoanda series ab anno CCIIX. Ejus epochae cardo duci solet ab anno V. C. Varr. CCCCLVII.

In Catalogo Cusineriano, quem mihi Cl. Auctor, dum Romae esset, perhumaniter communicavit, sub eodem Mithridate VI Ponti Rege descriptum inveni nummum hujusmodi.

Caput Regis laureatum.

BAΣ CZ. Clava, et pharetra cum sagitta transversa. Ær. 4.

Si revera nummus iste ad hunc Regem spectaret profecto ejus epochae cardo unum annum adhuc in anteriora promovendus. Sed non levia dubia mihi animo obversantur; eo quod nummus sit aereus, cum caeteri omnes hactenus editi hujus Regis sint argentei; quodque de Nicomede Bithyniae Rege forte monogramma sit interpretandum, cui notae illae chronologicae conveniunt.

SICILIAE REGES

Caput Hieronis diadematum hujus nominis I.

ΙΕΡΩΝΟΣ Vir galeatus, et cum thorace in pectore, atque ad humeros chlamyde volitante in equo decurrens, d. hastam transversam gerit. In area lit. N. Ær. 2.

Alius similis, sed in area Δ. Ær. 2.

Alius, sine nota in area. Ær. 2.

De criterio, quo Hieronis primi nummi ab iis distinguendi sunt, qui ad Hieronem II pertineant, videndus prae caeteris Cl. Eckhel. D. N. T. I. p. 256. Vnum displicet tantam nummorum copiam in Hieronis I memoriam longo post trium fere saeculorum intervallo signari potuisse. Vide in Gelone Syracusarum.

ΚΟΡΑΣ Caput Prosespinae spicis ornatum.

ΑΓΑΘΟΚΛΕΙΟΣ Victoria alis expansis dextram ad trophaeum extendit, sin. malleum gerit: ad pedes triquetra. Arg. 1.

Agathocles patre figulo natus cum Syracusas migrasset ingenio, et forma conciliantibus, post varios honorum gradus, ad quos pervenerat, tyrannidem tandem invasit, cumque audisset Alexandri M. duces sibi diadema capiti imposuisse, se quoque Regem nuncupavit. Haec ex Diodoro, et Plutarcho.

Caput Hieronymi Syracus. Reg. diademate ornatum.

ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ Fulmen alatum. Superne in area ΚΙ Arg. 2. Tab. II n. 38.

Hjeronymus suis vitiis desiderabilem quodammodo avum suum efficere voluisse scribit T. Livius; ob quae etiam mense XV, ex quo patris testamento Regnum adierat annos natus XV a coniuratis occiditur, ea quoque de causa, quod palam a Romanis desciscerct, et cum Hannibale so-

cietatem iniret. Lit. KI in nummis a Cl. Turremutio editis desiderantur. Primus videtur Rex iste, qui vivus sibi diadema impositum gestaverit, et in nummis exprimendum curaverit. Praeclara sunt, quae in hanc rem animadvertit Eckhel. de D. N. tum ad aetatem definiendam, ad quam singula Regum, vel Tyrannorum Siciliae numismata sint referenda.

Caput Regis Hieronymi diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΟΣ

ΙΕΡΩΝΥΑ.. V, et lit. T in area superne, infra clypeus. Ær. 2.

SYRIAE REGES

Series haec numismatum Regum Syriae caeterarum omnium uberior est, et longe aptior ad veterem historiam, sacramque etiam chronologiam illustrandam. In eadem autem bono, in lumine collocanda suam praecipue operam contulerunt Vaillantius, Haymius, Froelichius, Pellerinius, alii summi viri, ex quibus praeclaris fontibus in suam Num. Vet. Doctrinam breviter transtulit Eckhelius quidquid scitu dignum sibi tum compertum erat. De ratione computandi notas chronologicas, ac solvendi nodos quosdam difficillimos, quos offerunt Machabaeorum Lib. I, et II fuse egimus in Lib. n. de Vulg. Ær. Emend. p. 217, et seqq. Hoc loco tantum mihi propositum est: primo Regum imagines delineatas exhibere ex integerrimis autographis, quos mihi comparare studui, ut de ipsorum lineamentis, quantum fieri possit, ad veritatem accedentibus constare possit. De primis tamen Antiochis, aliisque Regibus, a quorum nummis absunt notae chronologicae, vel tituli, aut characteres, qui certam nobis offerant de ipsorum vultu notionem nihil mihi definiendum sumo, eosque pro incertis habendos, nec nisi ex coniectura de iis ferendum judicium sta-

I 2

tuo. Secundo quotquot ex meis nummis epocham continent in lucem proferre opportunum duxi, inter quos aliqui sunt, qui nondum editi, idque ad chronologiae Regum Syriae vel confirmationem, vel incrementum. Denique de iis, de quibus aliqua illustratione opus esse judicavi, operae pretium duxi eandem minime praetermittere. Si quid ergo tantis opibus jam editis adiiciam, vel nondum inspectum, vel quod adiumento sit ad horum Regum historiam aliqua ex parte meliori in lumine collocandam, utrumque erudito Lectori gratum, acceptumque futurum spero.

S E L E V C V S I.

Seleucus I. inter illustres Philippi II, tum Alexandri M. duces, eo mortuo, Babyloniae regendae praefectus fuerat; sed ea amissa, superato Nicanore Antigoni Legato, iterum recuperavit, ob eamque victoriam dictus Nicator epocham instituit, quae postea Seleucidarum est appellata.

Caput Jovis laureatum sine epigraphe.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕ.... ΟΥ Elephanti oblongis cornibus insignes quadrigas trahunt, in quibus Pallas galeata d. hastam vibrat. sin. clypeum gerit. Superne ancora, et in area hinc inde literae Α, et Σ infim. not. Arg. 1. Tab. II. num. 39.

Similes hactenus editi carent eo peculiari signo, quod elephanti in capite ostentant, nempe cornua, quae in aliis pluribus Seleuci nummis, etiam capiti equorum, vel galeae, vel denique in ipsa Seleuci fronte adiecta conspiciuntur ad ejus, ut notum est, eximium corporis robur, designandum, tum equorum suorum, atque elephantorum fortitudinem, quorum praestantia bellicis laudibus maxime claruit. Ancora quoque est gentilitium veluti ipsius stemma, quo signo Laodice ejus mater in Seleuci conceptu ab Apolline donata fuisse credita est.

Caput Herculis leonis exuviis tectum.

ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ Juppiter sedens d. aquilam, s. hastam. In area caput Palladis galeatum. Inter fulcra astrum. Arg. 1.

Caput juvenile pelle leonis tectum cum ala ad aurem adiecta.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΣΕΛΕΥΚΟΥ

Ι Bos cornupeta Duplex Ær. 3.

Videtur hoc typo Seleucus significare voluisse se, et ab Hercule, et a Perseo originem suam duxisse. De Perseo constat ob ejus affinitatem cum Demetrio Poliorcete ex Stratonice uxore, quae ex Antigono stirpem suam ad Perseum referebat. Cum autem Hercules ex Alcmena progenitus inter majores suos Perseum numeraret, hinc ratio patet, cur Seleucus de coniunctione quoque cum Herculis sanguine gloriari posset. Plura de his vide apud Eckhel. sub Philippo V Macedoniae Rege D. N. Vet. T. II p. 128.

Caput femineum velatum pone Α

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

.. ΕΛΕΥΚΟΥ. Caput elephantis cum proboscide erecta. Nummus denticulatus. Ær. min. In area Α

Fere similem exhibet Froelich. Ann. Tab. VI. n. 5.

ANTIOCHVS I SOTER

Antiochus I ille est, qui callido Erasistrati Medici consilio Stratonicen novercam a Seleuco patre in matrimonium sibi indulgenter concessam accepit, auctus etiam regni parte, provinciis nempe, quae trans Eufratem sitae erant.

Caput Antiochi diademate ornatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ANTIOX... Elephas stans, et ad ejus caput in area M Arg. 3.

Elephas indicio est hunc nummum ad Antiochum I spectare. Nulli arg. 3. formae cum ejus imagine hactenus editi.

Caput Antiochi Regis diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum retinet. In area signum. Ær. 3. Tab. II. n. 40.

De hoc nummo vide in sequenti.

Caput Antiochi diademate ornatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum gerit. In area tripus, et monogramma Arg. 1. Tab. III. n. 41.

Antiochi nummi cum titulo ΣΩΤΗΡΟΣ certo argumento sunt de ejus imagine, quam praeferunt diademate ornatam. Iste argenteus, tum aereus, qui praecedit, inter se vultu similes, atque consentiunt quo ad imaginis lineamenta cum duobus, quos delineatos exhibet Froelichius Annal. Tab. IV. n. 13, et 14, in quibus additur titulus ΣΩΤΗΡΟΣ, ut ex ipsa comparatione facile deprehendi potest. Itaque utrumque nostrum Antiocho I adscribendum judico. Æreus nondum editus, argenteus quoque ab editis differt, atque integritate, et elegantia praestat. Tertium cum titulo pariter ΣΩΤΗΡΟΣ, quem addit Pellerinius Suppl. IV p. 115 magis senilem aetatem praefert. Antiochus primus Servator dictus in grati animi testimonium, quod Gallos in Asiam irrumpere tentantes insigni victoria superaverit.

Scutum Macedonicum, in cujus medio caput Medusae.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟ.... Elephas stans, superne ancora, et monogramma. Ær. min. Tab. III. n. 42.

Peculiaris typus Medusae. In aliis similibus apud Haym. parte I. Tab. II. n. 7, et apud Froelich. Annal. Tab. IV.

n. 16. loco Medusae cernitur ancora. Elephas stans, et ancora supra ipsum in area, hunc quoque Antiocho I adiudicant.

Caput Antiochi diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ Caput aliud scissum superiori parte ubi Antiochi nomen. Ær. 3. Tab. III. n. 43.

Nummus iterum malleo percussus, ex quo factum, ut caput alterum adiecta Antiochi inscriptione per medium veluti secaretur. Eundem non tam ob lineamenta, quam ob novitatem alterius capitis adiecti referendum duxi.

Scuta Macedonica in orbem disposita, et in medio ancora.

.... ΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ Elephas stans, et in imo apri mandibula. Vbi desiderantur primae literae vocis ΒΑΣΙΛΕΩΣ signum incusum cum ancora. Ær. 3.

Peculiaris typus mandibulae apri Calydonii, ut passim cernitur in nummis Aetolorum.

Caput juvenile laureatum Apollinis sine epigraphe.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Elephas stans cum sessore; a tergo tripus, intra pedes elephanti Σ, et aliud signum ѱ. Ær. 3.

Froelich. Ann. pag. 25 quod in anteriori parte attritus esset nummus similis, dubitabat utrum Antiocho I, an Apollini sit adscribenda facies, sed noster est laureatus, quod proprium Apollinis. Literae etiam solitariae in ejus iconismo desiderantur. Ob elephanti symbolum merito Antiocho I tribuitur.

ANTIOCHVS II DEVS

Antiochus II, Antiochi I, et Stratonices fil. devicto, extinctoque Timarcho Milesiorum Tyranno, ab iis ΘΕΟΣ appellatus. Dum totus in bello instaurando, gerendoque adversus Ptolemaeum Ægypti Regem a patre suo Antiocho suscepto versaretur, Parthi Arsace, et Tiridate ducibus, caeso ejus Satrapa, defecerunt, regnumque sibi constituerunt.

Caput Regis Antiochi II diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ Apollo cortinae insidens cum arcu, et spiculo. In area hinc tripus, inde lyra. Arg. 1. Tab. III. n. 44.

Editi plures huic similes, sed cum signis diversis, qui ex coniectura tantum II adscribuntur. Hunc ea unica de causa exhibemus, quod ab Antiochi primi imagine differat, quin certi quidquam nobis statuendum sumamus.

SELEVCVS II CALLINICVS

Seleucus II, Antiochi II, et Laodiees F. illustri victoria in Mesopotamia devicto fratre Antiocho Hierace, Callinici cognomentum sibi assumpsit. A Parthis deinde victus, captusque carceris squallorem per plures annos apud eos expertus est.

Caput femineum diademate ornatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ Apollo nudus stans, d. spiculum, s. cubito tripodi innititur. In area ΣΥ. Dupl. Ær. 2.

Differunt ab editis. Hos, incerti tamen, Seleuco II, assignamus.

Capita Dioscurorum jugara cum pileis, et astris.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΣΕΛΕVΚΟV, et monogramma ΛR. Victoria coronam trophaeo imponens, ad cujus pedes caput bovis. Ær. 3. Ad Seleucum tertium referri solet. Vide Annal. Froelich.

ANTIOCHVS III MAGNVS

Antiochus III, Seleuci III frater magnus appellatus per totum regni tempus, quod diuturnum extitit, et in primo flore juventae acceperat, bella gessit. Hic exulanti Annibali perfugium praebuit, cujus spretis consiliis a tribus Romanis ducibus primo ad Thermopylas, ad Corycum deinde, ad Magnesiam demum, quae ab Sipylo, superatus, atque pecunia, ac magna parte regni mulctatus in Asia cis Taurum regnare permissus est.

Caput Antiochi diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟV Apollo nudus consuetum in morem cortinae insidens cum telo, et arcu. In area ΣΑ, et clava Herculis. Arg. 1. Tab. III. n. 45.

Sub Antiocho III incipiunt notae chronologicae Ærae Seleucidarum. In nummis jam editis hactenus occurrunt anni ΡΙΒ, ΡΙΕ, et ΡΙΖ singuli percussi ab Vrbibus maritimis, Tyro, et Sidone, ut indicat navis symbolum in aversa parte. Easdem initio abstinuisse patet nomine Vrbis, quod deinceps addiderunt, ut brevi post in Antiocho IV, tum in Demetrio I, et subsequentibus Regibus, in quorum aerea moneta cum eodem navis symbolo insculptum legitur ΤVΡΙΩΝ, vel ΣΙΔΩΝΙΩΝ. Ex hac regula statuendum videtur Tyrios in argenteis quoque nummis principio clavam unice addidisse, quae erat Vrbis suae signum, deinceps vero eidem superimpositum adjecisse Civitatis monogramma, ut in subsequenti Regum moneta argentea conspicitur. Hinc non iniuria inferri posse videtur hunc argenteum ad aliquem certo ex tribus Antiochis primis, atque ad tertium ejus nominis potius esse referendum.

SELEVCVS IV PHILOPATOR

De titulo Philopatoris unicum, sed indubium habemus testimonium ex praeclaro numismate apud Haymium Parte II, Tab. III. n. 4. in quo praeter imaginem, et Regis Seleuci Philopatoris nomen, adiectae conspiciuntur notae ϚΑΡ, quae non alteri, quam Seleuco IV convenire possunt. Insequentis quoque anni notae ΖΑΡ in altero Seleuci nummo leguntur apud Liebium, quae postremum ipsius regnandi tempus complectuntur. Ejus laudi merito adscribitur, quod Antiochum fratrem Romae obsidem substituto Demetrio filio redemerit. Editis nummis nihil in meis peculiare occurrit, quod adiiciendum putem. Notabo tamen in duobus meis similibus iis, quos delineatos exhibent Haym. P. I. Tab. IV. n. 2, et Froelich. Tab. VI. n. 8. muliebri imagini praeter caetera ornamenta regia ad humerum sin. adiectum esse sceptrum, quod confirmat eorum sententiam, dum asserunt eam imaginem non alicui Divinitati esse tribuendam, sed ad Laodicen Seleuci sororem, simulque coniugem, consortemque regni esse referendam. En nummi descriptio:

Caput femineum diademate ornatum cum taeniis dependentibus, et sceptro ad hum. sin. cui proxime signum adiectum A

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕVΚΟV. Dimidia navis. Nummus denticulatus dupl. Ær. 3.

Caput femineum sine velo, hederae foliis ornatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΣΕΛΕVΚΟV dimidia navis Ær. 3.

Non est denticulatus, ut bini superiores.

Incertum utrum huic, an alteri Seleuco sit tribuendus.

ANTIOCHVS IV DEVS EPIPHANES NICEPHORVS

Antiochi III filius extitit. Dum Romae obses, esset a Seleuco IV fratre revocatus, suffecto in ejus locum Demetrio filio, in itinere sibi nuntiata fratris morte sub exitum anni Seleucidarum CXXXVII, nulla interjecta mora, Syriae regnum sibi vindicare coepit, ac brevi a Syris agnitus, et exceptus fuit. Detestabilis ejus memoria ob profanatum Hierosolymorum Templum, afflictamque miris, et inauditis modis Hebraeorum gentem. In montibus prope Vrbem Tabas in Syriam revertens de Judaeis, a quibus ejus Praefecti magnis cladibus affecti fuerant, vindictam sumpturus, a vermibus consumptus inter acerbissimos dolores miserime animam efflavit labente anno Seleucidarum CXLIX. V. C. Varr. DXC. A. X. CLXIV.

Caput Antiochi IV Dei Epiphanis Nicephori diademate ornatum v. d.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Juppiter seminudus sedens, d. victoriolam, s. hastam. In imo ⩚ Arg. I. Tab. III. n. 46.

Alius, sed addita voce ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, et in area lit. Σ Arg. I. Tab. III. n. 47.

Alius similis, sed ad marginem signum ⩚ Arg. I.

Ex iisdem prorsus lineamentis vultus, quae clare in singulis hisce integerrimis nummis conspiciuntur, in Opere n. de Vulg. Ærae Emend. Bellej, et Pellerinii sententiam confirmare licuit asserentium contra Vaillant., et Froelich. nummos cum adjecto titulo Nicephori non alteri Antiocho adscribendos esse, quam huic, qui Deus, et Epiphanes frequentius in nummis appellatur, omisso altero Nicephori titulo, quorum non paucos habui, omnes inter se similes.

Caput Antiochi Epiphanis Nicephori diadematum v. d.

ΒΑΣΙΛΕΩ
Σ
ΑΝΤΙΟΧ
ΟV
ΘΕ
ΕΠΙΦΑΝ ΘΕΟ..
ΝΙΚΗΠΙΦΑΝ

Juppiter seminudus sedens v. s., d. victoriam gerit, quae utraque manu coronam eidem offert, s. hastam, ut in praecedentibus.

Malleo, vel typariis formis repercussus nummus confusam, et inordinatam offert epigraphen; sed ut in caeteris patet legendum ΕΠΙΦΑΝΟVΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟV. Confert tamen, ob voces singulas inter se paralellas ad latera positas, ne vox ΝΙΚΗΦΟΡΟV, quae in plerisque in imo sub Jove scripta legitur ad ipsum Jovem a quoquam referri queat. Anterior quoque pars eodem mallei vitio longiorem exhibet Nicephori vultum, ut in aversa Jovis sedentis figuram.

Caput Jovis barbatum laureatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟV
ΘΕΟV
ΕΠΙΦΑΝΟVΣ Aquila fulmini insistens. Ær. 1. major. Tab. III. n. 48.

Caput Antiochi IV diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟV
ΘΕΟV
ΕΠΙΦΑΝΟVΣ Aquila fulmini insistens. Ær. 2.

Hujusmodi nummos, aliosque, quos omitto cum capite Isidis, vel ipsius Antiochi in Ægypto signatos manifestant fabrica, metallum, et utriusque partis symbola,

confirmantque quod in veteri historia memoriae mandatum videmus de Ægypto ab Antiocho Epiphane capta, et per aliquod tempus Ptolemaeo Philometore dejecto retenta.

Caput Antiochi IV radiatum, pone in clypeo X

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤ..... Mulier tutulato capite sedet, d. victoriolam gestat. Ad pedes ejus Ibis. Ær. 3. Tab. III. n. 49.

Corona radiata divinitatis signum est, quod Antiochus iste sibi peculiariter arrogavit, eoque titulo ab aliis, publicisque in monumentis compellari voluit. Quamvis nummulus iste sit fabricae syriacae, symbola tamen continet aegyptiaca in figura sedente cum victoriola, cujus ante pedes stat Ibis, quae peculiaris erat avis Ægypti procero rostro, atque adunco, quarum avium genus referente Cicerone lib. 2 de nat. Deor. pestem ab Ægypto avertebat, cum volucres angues vastitate Libyae vento africo invectas interficerent, atque consumerent. Similem fere exhibet Froelich. Tab. VI Annal. n. 8., sed rostri figura vitiata incertum avis genus relinquebat. Itaque hic quoque nummulus testis est de Ægypto ab Antiocho IV devicta.

ΔΜΡ Caput juvenile diadematum Antiochi Regis IV Epiphan.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΤΥΡΙΩΝ Navis, et lit. phoenic. in iconismo emendandae, ut infra. Ær. 2. Tab. III n. 50.

Praeter annum hunc Seleucidarum ΔΜΡ (XLIV in moneta Antiochi IV Regis certi mihi sunt anni ΕΜΡ, ΖΜΡ, et ΗΜΡ ex Pellerinio, ex Froelich, aliisque. Quem citat Eckhel. T. III D. N. V. p. 225 cum notis L. ΗΑΡ ex Mus. Caes. et ex sodali suo Froelich. Annal. in praef. p. 3. ipse quidem in Proleg. p. 38, ubi notas omnes in nummis Syriae Regum ordine recenset, annum suprascriptum non invenio, neque in corpore Annal., vel in Tab. adiectis. Quodque mirari subit ipse Eckhel. in Vrbibus, quas ibidem notat Antiocho IV monetam signasse, annum suprascriptum L ΗΑΡ

omittit. Hinc nullam arbitror ipsius rationem habendam esse, licet huic Antiocho convenire possit, quod ex aliquo memoriae lapsu in calamum praestantiss. viri irrepserit.

Literas autem phoenicias, quae integerrimae sunt, mihi expressit egregius vir Jo. David Akerblad Svevus, cujus summa laus in Orientalium linguarum peritia hoc pacto 𐤋𐤑𐤓 𐤀𐤌 𐤑𐤃𐤍𐤌 לצר אם צרנים, easque latine vertebat TYRI MATRIS SIDONIORVM. Ex quo patet eundem esse nummum, quem jam viderat, et explicaverat eruditiss. Barthelemyus, quemque in suum Opus de Doctr. N. V. transtulit Eckhel. T. III. pag. 408. Plerumque in hujusmodi nummis Syriae Regum Vrbs Tyrus suum nomen literis phoeniciis inscripsit, ut in meis pluribus; verum in hoc ambitiose jactat se Sidoniorum Vrbem condidisse, non ab ea natales accepisse, de quo mira erat inter utramque contentio, neque deessent argumenta, quibus Tyrus se altera antiquiorem ostenderet, ut apud veteres Scriptores adnotatum invenies.

DEMETRIVS I SOTER

Demetrius I Seleuci IV fil. Romae obses, sed fuga elapsus consobrini Antiochi V regnum occupat: cum Judaeis varia fortuna, Juda, et Jonatha ducibus bella gerit. Ob luxum suis invisus ab Alexandro Antiochi IV creditus filius, consentiente Senatu, praeliis lacessitur, in quibus primo victor, sed deinceps inferior, ac superatus media in acie occumbit. In ejus nummis anteriores notae ΓΝΡ postremae vero ΒΞΡ. Nam quem notat Froelich. ex Gesnero cum anno ΑΝΡ jure in suspicionem vocatur.

Caput Demetrii diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ Apollo muliebri habitu sedens d. telum, s. cornucopiae gerit. Arg. 1.

Ipse titulus Soteris hunc nummum Demetrio primo vindicat.

Caput Demetrii diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Navis supra quam L ΔΝΡ Anno CLIV. Ær. 3.

Infra vox ΤΥΡΙΩΝ deficiente margine desideratur.

Caput Demetrii diademate ornatum, ut supra.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ Infra ΤΥΡΙΩΝ, et lit. phoen. L ΗΝΡ Anno CLVIII Navis, ut in praecedenti.

Quinque inter se similes Æraei 3.

Caput Demetrii diademate ornatum, ut in praecedentibus.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ In imo ΤΥΡΙΩΝ Navis, supra quam L ΘΝΡ Anno CLIX. Ær. 3.

Caput Demetrii diademate ornatum.

.... ΙΛΕΩΣ

... ΜΗΤΡΙΟΥ

... ΞΡ, et infra navis. Ær. 3.

.. ΡΙΩΝ, et lit. phoeniciae.

Patet ex his Tyrios suam erga Demetrium voluntatem, et obsequium omni studio declarare voluisse, ad ejus benevolentiam sibi conciliandam. Id quoque a Sidoniis factum, quorum nummos omitto.

ALEXANDER I THEOPATOR EVERGETES EPIPHANES, NICEPHORVS vulgo BALA

Alexander creditus Antiochi IV fil., sed incertae stirpis, a Ptolemaeo Philometore, a quo in obtinendo regno adiutus fuerat, Cleopatram in matrimonium accipit, fraude deinceps regno spoliatur. Hinc conserto inter utrumque praelio, victus a suis interficitur anno regni ineunte VII. Postremae in nummis notae ϚΞΡ, primae ΒΞΡ.

Caput Alexandri I diademate revinctum.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ Aquila rostro navis insistens

d. pede. In area clava cum monogrammate Vrbis Tyriorum, et notae ΕΞΡ An. CLXV, insuper duplex Γ, ut in schemate Arg. 1. Tab. III n. 52.

Nummus integritate praestans ejus imaginem magis quam in editis ad veritatem expressam refert, idque in iconismo exequendum quoque curavimus.

Caput Alexandri I diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. In area duo signa. Apollo nudus cortinae insidens, d. telum, s. arcum. Arg. 3. Tab. III n. 53.

Superior ex notis chronol., iste ex titulis adiectis ad eundem Alexandrum I referendus, ut patet.

Alius, sed in imo Δ. Arg. 3.

Caput Alexandri I diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Victoria stans d. baculum retinet, s. cornucopiae: in area ad s. flos in acumen desinens. Nummus denticulatus. Ær. 3.

Ex lineamentis ad primum spectare videtur.

Caput Alexandri I diadematum.

ΛΑ.. ΔΙΚΕΩΝ

ΤΩΝ

ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣ Juppiter stans, d. extensa, ad pedes Aquila. In area ad marginem Σ Ær. min. Tab. III. n. 54.

Similes sine nomine Alexandri Regis a Laodicea Syriae ad mare, item ab Apamea, Hierapoli etc. invenies apud Froelich. Annal. Reg. Syriae Tab. IX num. I, et seqq. Binos etiam sub hoc eodem Alexandro exhibet Pellerin. Reg. Tab. X, sed noster aquilam habet adiectam.

Caput Apollinis laureatum.

ΔΞΡ ΑΔΕΛΦΩΝ ΔΗΜΩΝ In area monogrammata: *Fratrum Populorum an.* CLXIV Tripus Apollinis, et monogrammata, ut in schemate. Ær. 3. Tab. III. n. 55.

Praeunte Strabone lib. XVI rectam horum numismatum explicationem primus attulit Cl. Massonius, quam

deinceps singuli adoptarunt, praesertim Haym. P. I. p. 65, Froelich. in Annal. et Eckhel. D. N. T. III p. 267. Quatuor illustriores Seleucidis Vrbes hoc nomen tulerunt: Antiochia, Seleucia, Apamea, et Laodicea; namque ut habet laud. Strabo: αἵπερ καὶ ἐλέγοντο ἀλλήλων ΑΔΕΛΦΑΙ διὰ τὴν ὁμόνοιαν, Σελεύκου τοῦ Νικάτορος κτίσμα. Eas autem Seleucus conditor sic appellaverat ex suo, patrisque nomine, item ex Laodice matre, et Apame uxore. Ad Syriam hosce nummos pertinere suadent praeterea ipsorum fabrica, et metallum, atque hunc nostrum Antiochiae signatum fuisse non dubium ob imaginem, et symbola Apollinis in utraque nummi parte, de cujus cultu apud Antiochenos, qui etiam ἐπὶ Δαφνῇ vocabantur, res est testatissima. Annum ΔΞΡ, et ΕΞΡ nummi hactenus vulgati praeferebant, quibus tertium addidit Eckhel. ex Museo Caes. cum notis ΕΠΡ. Epocha, ut jam per se patet, non alia in hisce notis, quam Seleucidarum agnoscenda. Hinc sequitur hunc nostrum caeterosque editos nummos cum ΕΞΡ sub Alexandro I signatos fuisse.

DEMETRIVS II DEVS PHILADELPHVS NIKATOR

Demetrius II primi hujus nominis fil. ob suam morum acerbitatem varios subiit casus; nam et Syriae Vrbes plurimae ab eo defecerunt, ejusque magnam regni partem alii Reges occuparunt, quorum deinceps nummos afferemus, tum post diuturnam apud Parthos captivitatem reversus, nihilo tamen melior factus, ideoque novum Regem optantibus Syris, ab Alexandro quodam, vulgo Zebina dicto, ingenti clade afficitur, et conscia uxore apud Tyrum interficitur. Primum ejus regni annum produnt nummi ΖΞΡ, postremum vero ΖΠΡ, quem vide inferius suo loco.

Caput Demetrii II diadematum.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ Aquila stans. In area ΗΞΡ An.

CLXVIII ΣΙΔΩ Acrostolium, et monogramma, ut in schemate. Arg. 1. Tab. III. n. 56.

Nummus integerr. exhibet Demetrium in flore juventae.

Caput juvenile Demetrii II diadematum.

. . . . . .

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ

L ΗΞΡ An. CLXVIII.

ΤΥΡΙΩΝ, et lit. Phoeniciae. Navis. Ær. 3.

Caput juvenile diademate ornatum.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Aquila d. pede prorae navis insistens, palmam ala pariter d. gerit. In area ΘΞΡ An. CLXIX, et clava cum superimposito Tyri monogrammate, alioque signo. Arg. 1. Eximiae et iste integritatis nummus.

Caput Demetrii II diadematum.

. . . . . .

. . . ΜΗΤΡΙΟΥ

ΘΞΡ. In imo ΤΥΡΙΩΝ, et lit. Phoeniciae. Navis. Ær. 3. Tab. V. n. 90.

Caput Demetrii diadematum facie juvenili.

. . . ΑΣΙΛΕΩΣ

. . . . . . ΗΤΡΙΟΥ

. . . . . . ΑΤΟΡΟΣ In imo ΑΠΡ in nexu, ut in schemate An. CXXCI, et acrostolium. Apollo cortinae insidens, d. spiculum, s. arcum. Ær. 3. Tab. V. n. 91.

Notandus in hoc nexus in notis, ut supra.

Caput juvenile Demetrii II diademate ornatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ Victoria stans d. elata corollam. In area sic ΗΥ / Ε Ær 3. Tab. III. n. 57.

Caput Jovis laureatum cum rigenti barba.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ Victoria stans d. extenta corollam, s. palmam. In area Ξ. Ær. 3. Tab. III. n. 58.

Similem profert Pellerin. Reg. Tab. X. n. 9. ac merito animadvertit, quem exhibet Froelich. Tab. IX. sub n. 1. hujus Regis ab hisce minime diversum, non quidem Regis imaginem, ut Froelichio visum, sed Jovis referre. Noster autem clarius exprimit rigentem barbam, ut in Antiochensium nummis, in quibus eadem Jovis effigies expressa cernitur.

Caput Jovis barbatum, ac diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. In imo ΔΠΡ Anno CLXXXIV Apollo nudus stans, d. telum, s. arcum. Ær. 3. Tab. IV. n. 59.

Caput Demetrii diadematum, et sine barba.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ Monogramma ΤΥΡ cum clava, ΙΕΡ ΑΣΥ ΞΠΡ An. CXXCVII Aquila stans, et intra ejus pedes prora navis. Arg. 1. Tab. IV. n. 60.

In hoc nummo Demetrii facies plane imberbis, sed crassior, pleniorque, quam quae apud Pellerin. Tab. X. n. 2, et 3 exhibeatur. Accedit ad illius similitudinem, quae delineata conspicitur apud Froelich. Tab. X. n. 44. Ex his infero in nullis, vel paucis admodum nummis ejusdem Demetrii, praesertim post ejus a captivitate reditum, faciem barbatam agnoscendam esse, cum in plerisque vultus cum promissa barba longe gracilior appareat. Tales sunt quos in cit. Tab. X refert Pellerinius sub n. 1, et 4, tales qui exhibentur apud Froelich. Tab. IX n. 1, et 2, et Tab. seq. n. 40, et 45. Ac pro certo teneo ob eandem causam ad Jovem potius referendam esse imaginem, quam paulo ante descripsi cum typo Apollinis, et notis ΔΠΡ. Ab anno jam Seleucidarum CXXCIII e captivitate redux Demetrius partem regni sui receperat, ab eoque tempore barbam, si unquam aluerat, erasisse testantur nummi, quos innuimus, quique lineamenta offerunt plane diversa ab iis, quae in barbato vultu sub iisdem annis, ut jam diximus, conspiciuntur. Quod utrumque mihi non levem dubitandi an-

sam praebet in omnibus hujusmodi nummis Jovem potius expressum fuisse. Apud Haymum Tab. VII n. 4 Demetrii leviter barbati imaginem agnosco, sed deficientibus notis chronol. ad captivitatis tempus nummus referri jure potest. Ac propterea conferant Eruditi quantum discriminis intercedat inter hanc Demetrii effigiem, caeterasque omnes, quas cum barba post ejus reditum a captivitate editas videmus. Atque haec veritatis sedulo inquirendae causa dicta sint. Nec quidquam obest diadema in quibusdam adiectum, cum neminem lateat Jovis faciem utraque ratione in nummis, aliisque monumentis exhiberi consuevisse.

ANTIOCHVS VI EPIPHANES DIONYSVS

Antiochus Dionysus Alexandri I, et Cleopatrae filius, puer quinquennis Tryphonis opera, a quo ex Arabia in Syriam deductus fuerat, victo Demetrio Antiochiam, et regni partem obtinet; sed ejusdem Tryphonis fraude biennio regni exacto cum aliquot mensibus de medio tollitur. Ejus regni annus primus ex nummo Pellerinii sine titulo Dionysi ΞΞΡ, ex indubiis vero nummis ΗΞΡ, postremus ΟΡ. Qua autem ratione hujusmodi anni explicandi sint, iique comparandi cum triennio tantum inchoato, vel labente ejus regni, quaeque methodus caeteris anteponenda nobis visa sit, fuse demonstravimus in lib. n. de Vulg. Ær. Emend. pag. 269, et seqq., quae non sunt hic denuo repetenda.

Dubia quae proponit doctiss. Eckhelius D. N. V. Tom. III p. 231, et seq. de Pelleriniano nummo: utrum nempe notae in eo ΞΞΡ huic Antiocho revera adscribi queant, nec ne, quamquam si quid ponderis haberent, adiumento forent ad facilius Antiochi hujus regni fines circumscribendos, qui cum veteri, et sacra historia consentirent, evanescunt tamen ob praedictas notas ΞΞΡ, quae non alteri

Antiocho, quam huic nostro per ea tempora convenire possunt; quibus etiam admissis ex methodo a me proposita, et demonstrata in lib. n. superius citato, omnia recte concil antur, ut ibidem videri potest.

Caput Antiochi Epiphanis Dionysi radiatum, et diadematum facie puerili v. d.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

ΤΡΥ

ΗΞΡ

Κ

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ

ΔΙΟΝΥΣΟΥ

Dioscuri cum galea, et astris supra caput, citatis equis hastas orizontales intorquent contra columellam sive hastam erectam, in cujus summitate globus cum cuspide. Omnia intra lauream coronam. Arg. 1. Tab. IV. fig. 61.

Caput radiatum, et diadematum facie puerili, ut in superiori.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.

ΔΙΟΝΙΣΟΥ

ΘΞΡ ΣΤΑ Apollo nudus tripodi insidens, d. telum, s. arcum: intra pedes Apollinis X. Arg. 3. Tab. IV. fig. 62.

Caput Dionysi pueri diadematum, radiatum, ut in superioribus.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

ΤΡΥ

ΟΡ monogramma ex lit. Π, et Α, ut in schemate.

ΣΤΑ

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ

ΔΙΟΝΥΣΟΥ

Dioscuri in equis, ut in primo, hasta vel columella excepta. Arg. 1. Tab. IV. fig. 63.

Caput Antiochi pueri radiatum, addita corona ex hedera.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

ΕΠΙΦΑΝΟΥ

ΔΙΟΝΥΣΟΥ Elephas proboscide facem erectam praefert. In area ΣΤΑ, et spica. Ær. 3.

Alius similis, in quo loco spicae taeda. Ær. 3.

Alius, in quo astrum. Ær. 3.

Alii tres similes, in quibus cornucopiae. Ær. 3. Serrati omnes sex.

Caput radiatum, hedera ornatum, ac puerili facie admodum venusta.

Inscriptio aversae, ut in superioribus addito in imo ΔΙ. Vas ansatum, juxta pedem, hinc flos, ut videtur, inde ramus. Ær. 3.

Iste non est denticulatus, et caret lit. ΣΤΑ, vel ΤΡΥ.

En decem Antiochi Dionysi nummi, omnes capite radiato, facie puerili, et unico dempto, liter. ΣΤΑ, vel ΤΡΥ adjectis, quae certo sunt indicio ad unum, eundemque Antiochum VI cognomine Dionysum esse referendos. Ex quibus propterea perspicuum fit similes, qui ab Haymio, Vaillantio sub Antiocho XII describuntur, huic uni esse restituendos. Vltimus quoque, etsi careat initial. lit. ΣΤΑ, vel ΤΡΥ ob certa vultus radiati, et puerilis lineamenta ad hunc ipsum spectare non dubium. Eximia sunt, atque integritate praestant tria prima argentea. Tetradrachmum cum ΗΞΡ nullum hactenus lucem aspexerat ad Eckhelium usque, similiter arg. 3. formae secundo loco allatum, monogramma denique in tertio tetradrachmo cum monogrammate, quod interpretandum videtur de Apamea, quae erat Try-

phonis Dionysi tutoris patria. Sed cum haec jam edenda paraveram, ex edito nuper libro a Cl. Sest. cui titul. Descript. N. Vet. hanc seriem multo augeri video tam arg., quam aereis ex Mus. Cusiner., et Ainseliano.

ΤΡΥΦΩΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ

Tryphon, qui etiam Theodotus prope Apameam natus, Alexandri I praefectus, eo interfecto, illius filium infantem Antiochum Dionysum ex Arabia in Syriam adductum, et in regni partem Regem constitutum, ipse tutorio nomine res moderatus est; sed triennio nondum elapso per impium scelus caeso Dionyso, in ejus locum successit, regnumque auxit, sibique confirmavit adversus Demetrium II, qui etiam Tryphone adhuc regnante in Parthorum captivitatem incidit. Verum Antiochus Demetrii II frater repente in Syriam veniens Tryphonem invadit, ab eoque deficientes Vrbes ad se perthrait, eumque postremo fugientem Doram, ac deinde Apameam ad mortem adigit. Æra Seleucidarum in ejus nummis nondum detecta; annus IV, ejus regni nunc primum innotescit ex nummo sequenti.

Caput Tryphonis diademate ornatum.

ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΥΤΟΚΑΤΟΡΟΣ

Aquila fulmini insistens. In area monogramma ex Α, et Π ut in fig., et L Δ Anno IV. Arg. 1. Tab. IV. fig. 64.

Peculiaris iste, ut et alter Vaticanus cum anno regni IV. Sumit initium a sublato per dolum pupillo Antiocho, quod contigit ante veris initium anni Seleucid. CLXIX, Syromaced. CLXX. Ex methodo vero Phoenicum, Ægyptiorum, atque Hebraeorum, qui annorum regni computationem in caput anni sui civilis conferre consueverant, annus quartus tyrannidis a Tryphone initae exibat

circa veris initium anni Seleucid. CLXXIII, Syromaced. CLXXIV. De quibus consule quae a me fuse demonstrata sunt De Vulg. Ærae Emend. pag. 273.

Caput Tryphonis diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΤΡΥΦΩΝΟΣ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ Galea cum taeniis infixo ad s. cornu. In area ΑΣΚ. Ær. 3.

Alius, sed in area Dioseurorum pilei cum astris. Ær. 3.

Alius, sed in area simplex astrum. Ær. 3.

Ærei omnes, qui jam editi carent notis ad annum regni designandum.

ANTIOCHVS VII EVERGETES, vulgo SIDETES

Antiochus VII dictus Evergetes Demetrii I fil. capto a Parthis Demetrio II fratre, uxore ejus in matrimonium accepta, Tryphonem bello adortus vicit, atque interfecit, ut paulo supra jam dictum est. Post novem circiter annorum regnum, quod a Tryphonis nece solus tenuit, ducto contra Arsacem Parthorum Regem exercitu Demetrium fratrem a captivitate liberavit: demum post triennium circiter incerto mortis genere vitam finivit. Annus primus in ejus nummis, ex quo Cleopatram duxerat est Seleucidarum ΔΟΡ, ut in sequenti nummo, postremus ϚΠΡ, uno nempe minor anno, quem signavit ejus frater Demetrius a captivitate redux, quique eidem fuit supremus. De anno ΒΞΡ, quem in nummo Evergetis describit Haym. p. 58, et Tab. V. n. 4, cum hactenus sit unicus ejus anni testis, optandum, ut novo aliquo monumento confirmetur.

Protome Cupidinis alatis humeris.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΟΡ. Anno CLXXIV. Flos loti, infra luna falcata. Ær. 3.

Alii tres similes, sed notae ΕΟΡ An. CLXXV, et in area signa quaedam. Ær. 3.

Caput Antiochi Evergetis diadematum v. d.

ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ In area monogramma Tyriorum cum clava, et ΙΕΡΑ ΑΣΥ ϚΟΡ Anno CLXXVI. Aquila fulmini insistens versus s. cum palma ad alam dext. Arg. 2. Tab. IV. num. 65.

Dispositionem literarum, quae in aversa parte aream occupant vide in schemate. Pauciores sunt nummi 2 formae arg., quam tetradrachmi. Iste nondum editus, quod sciam.

Protome Cupidinis alati.

. . ΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ . . ΕΡΓΕΤΟΥ ϚΟΡ Anno CLXXVI Flos loti supra lunam crescentem Ær. 3.

Ob peculiarem episemi formam delineatum exhibere duximus. Tab. V. n. 92.

Alius similis, sed notae sic ϚΟΡ, et acrostolium supra notas. Ær. 3.

Caput Antiochi Evergetis diademate revinctum.

ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ In area hinc ΞΟΡ, et monogramma, inde ΣΙΔΩ, et acrostolium. Aquila stans ad alam d. palmae ramum gestat. An. CLXXVII. Arg. 1. Tab. IV. n. 66.

Numinus elegantissimus, atque integerrimus. Iste addendus caeteris, quos recensent Froelichius, et Eckhelius in Vrbe Sidonis, et in Annal.

Cupidinis Protome, ut in superioribus.

. . . . . .
ΟΧΟΥ
. . ΕΡΓΕΤΟΥ ΞΟΡ An. CLXXVII Flos loti, et infra astrum. Duplex Æ. 3.

Caput Antiochi Evergetis diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ϒ ΙΕΡΑΣ

Navis.

ΘΟΡ An CLXXIX, et lit. Phoeniciae. Ær. 3.

Addendus iste cum navi, et epocha Tyriorum Catalogo Eckhel. sub Vrbe Tyro T. III. D. N. V. pag. 379.

Alius facie venusta, ut in argenteis, et typo navis in aversa Tyriorum, sed epocha parumper vitiata. Ær. 3.

Cupidinis imago, ut supra.

... ΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ Flos loti, et infra ΘΟΡ An. CLXXIX. In area monogramma Ær. 3.

Alius, sed loco monogrammatis cornucopiae. Ær. 3.

Protome Cupidinis, manu d. ad mentum admota.

.. ΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

.. ΥΕΡΓΕΤΟΥ Flos loti, et infra ΠΡ An. CLXXX. In area duplex signum, vel monogramma. Ær. 3.

Caput Antiochi Evergetis diadematum.

ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ In area monogramma Tyriorum

Α Α...

ΙΕΡ, et notae Β.... Aquila stans cum palmae ramo ad latus d., dextroque pede prorae navis imposito. Arg. 1.

Binae majores notae chronologicae ex foramine adiecto deletae fuerunt. Sed non aliter supplere oportet, quam ΒΠΡ An. CXXCII, et supra ΑΣΥ.

Protome Cupidinis humero alato.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ Flos loti, et notae ΒΠΡ An. CXXCII. In area palmae ramus. Ær. 3.

Protome Cupidinis alatis humeris.

..ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΠΡ An. CXXCIV. Flos loti. Ær. 3.

CLEOPATRA ALEXANDRI I, DEMETRII II, ET ANTIOCHI VII EVERGETIS VXOR.

Caput velatum Cleopatrae Reginae. Pone ipsius caput ΧΔ.

ΓΠΡ ΣΙΔΩΝ ΘΕ.. Cista Bacchi operculo semiaperto. Ad latus Thyrsus. Omnia intra coronam ex hederae foliis contexta. Ær. 3. Tab. IV. n. 67.

Lineamenta vultus propria sunt imaginis alicujus Feminae. Merito Eckhelius Doctr. N. V. pag. 139, et 393 nummos cum capite muliebri velato, et bove currente in aversa parte, quos Liebius, et Froelich. huic Cleopatrae adscribunt inter Aradiorum autonomos recensendos esse statuit, quorum epocha cum hac Regina, et notis in hujusmodi nummis insculptis conciliari nequit. Hic noster Sidoniorum optime consentit cum epocha, et anno ΓΠΡ CXXCIII Seleucidarum, qui pariter notatur in nummis Demetrii II, ut et alii posteriores in iis subsequentium Regum.

ALEXANDER II, vulgo appellatus, ZEBINA

Alexander II Protarchi mercatoris Ægyptii filius, sed Antiochi Evergetis adoptione conficta, in partem Syriaci regni a Ptolemaeo Physcone mittitur, eumque Vrbes quaedam praecipuae, ut Antiochia, et Apamea, aliaeque, Demetrii II recens a captivitate reducis superbiam aegre ferentes libenter accipiunt, victoque subinde ad Damascum Rege Demetrio, regnum suum confirmat. Nòn multo post tamen Regis Ptolemaei mutata voluntate, ab eodem favente rebus Antiochi VIII Demetrii II filii, bello superatur, et a suis desertus, captusque interficitur anno regni VI. Pri-

M 2

mus ipsius regni annus in nummis signatus est ΔΠΡ, postremus ex singulari Pellerinii tetradrachmo ϘΡ.

Caput Alexandri II diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΧΑΝΔΡΟΥ ΔΠΡ An. CXXCIV. Bacchus cum amiculo stans sinistram respicit, d. cantharum, s. thyrsum, et in area monogrammata. Duplex Ær. 3. Tab. IV. n. 68.

Caput Alexandri diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Bacchus stans, ut in superioribus. ΕΠΡ Anno CXXCV. Triplex Ær. 3.

Caput Alexandri II leonis exuviis tectum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Victoria gradiens capite floribus ornato versus s., dextra extenta corollam, ad hum. s. palmae ramus, quem laeva manu retinet. In area monogramma ⩩, et infra spica. Ær. 3.

Quantopere gloriatus fuerit Alexander, quod emulum regni Demetrium II feliciter superasset in eo proelio, quod apud Damascum inter utriusque exercitum commissum fuerat, memorat Justinus lib. 39, Joseph. Antiq. lib. XIII, aliique veteres Scriptores. Non immerito itaque hoc typo ea victoria designari videtur.

S E L E V C V S V

Fuit Seleucus Demetrii II ex Cleopatra filius. Caeso patre, quod esset major natu regnum obtinet, sed inclinante matre in Antiochum VIII filiorum alterum, intra anni spatium misere interficitur. Nulli hactenus editi sunt nummi, de quibus certo constet, quod ad Seleucum V pertineant.

ANTIOCHVS VIII EPIPHANES, vulgo, GRYPVS

Antiochus VIII Demetrii II, et Cleopatrae fil. natu minor thronum caede patris, fratrisque ex insidiis Cleopatrae matris foedatum ascendit. Eidem matri regnandi avidissimae, ut patrata scelera manifestant, per aliquot annos obnoxius fuit, donec insigni parta victoria de Alexandro II, vulgo Zebina, et maternae auctoritatis pertaesus, dum illa veneno filium de medio tollere parat, re comperta, ipsa mater ad oblatum virus bibendum adigitur. Eo pacto Cleopatra, trium Syriae Regum uxor, quatuorque Regum mater ob inexplebilem dominandi cupiditatem, in tanto felicitatis statu se ipsam misere perdidit. Antiochus aliquandiu regnum solus tenuit, sed elapsis aliquot annis Antiocho IX fratre uterino partem regni repetente, dum inter se intestino bello dimicant, Vrbes aliquot Syriae illustres excusso servitutis jugo, se in libertatem vindicant. Denique ex Porphyrii calculis Heracleonis insidiis occiditur anno IV Olympiadis CLXX, atque ut notat Josephus lib. XIII Antiq. cap. XIII, cum annum ageret XLV. Dissentiunt tamen utrique in ejus regni annis designandis. Porphyrius enim in Graecis apud Scalig. huic Antiocho assignat annos regni XXVI, Josephus vero annos XXIX cit. loco, quae computatio etsi ex domestica Hebraeorum methodo ab eo facta admittenda sit, adhuc tamen biennii discrimen intercedit.

Primus ejus regni annus ex nummorum fide est ΖΠΡ, ut ex nostro mox describendo, atque ex regio arg. apud Vaillantium: de ultimo nihil ex nummis hactenus compertum habemus. Postremae notae post quinque annorum lacunam sese produnt in nummo apud Froelich. Annal. pag. 103 n. 40, sunt autem ΒΙΣ. Istae respondent An. V. C. Varr. DCLIII. ante Christum CI: ex calculis vero Por-

phyrii Antiochi interitus conjiciendus in An. V. C. DCLVII, ante X. XCVII.

NVMMI ANTIOCHI VIII CVM EPIGRAPHE ETIAM CLEOPATRAE MATRIS.

Caput Regis Antiochi VIII radiatum.
ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ
ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ
ΚΑΙ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ Flos loti; in imo ΞΠΡ. Anno CLXXXVII.
Ær. 3. Tab. IV. n. 69.

Vnicus hactenus hujus Antiochi editus nummus cum notis ΞΠΡ, estque argenteus videndus apud Vaillantium, Eckhel. Froelich. etc. Noster itaque in pretio habendus, quod eundem annum confirmet, cui jam si jungatur alter nuper editus a Cl. Sestinio Descript. Num. Vet. p. 499 cum imagine, et epigraphe unius Cleopatrae, et cum eisdem notis chronol. certiora instituere fas erit ratiocinia de initio principatus hujus Antiochi, qui Epiphanes, atque ex dicterio vulgi, Grypus vocabatur, tum de Regni Seleuci V. tempore. Nam si anno Seleucidarum CXXCVII per aliquod tempus sola Cleopatra Antiochi mater regni habenas tenuit, eodemque anno deinceps in regni consortium Antiochum filium admisit, quod utrumque modo nummi testantur, inferre sane oportet Seleucum V ejusdem Cleopatrae filium natu majorem ex Demetrio II, qui post patris sui necem Regem se, regnique successorem invita matre professus fuerat, hoc eodem anno ante autumnum ab ea crudeliter interfectum fuisse. Veteres autem Scriptores superbissimae huic feminae Ptolemaei Philometoris filiae non modo Seleuci filii, sed et Demetrii mariti necem ob suam effraenatam regnandi cupiditatem adscribunt. Singula au-

tem hoc ordine chronologico disponenda. Demetrius II, qui ex nummis jam editis Tyriorum, atque ex nostro paulo supra descripto cum notis ΖΠΡ Tab. IV. fig. 60. superstes adhuc fuisse constat anno Seleucidarum CXXCVII, cujus initium coeperat autumno anni V. C. Varr. DCXXVIII, ante Christum CXXVI, ab Alexandro Zebina ingenti clade affectus, et in Vrbem Tyrum subinde se recipiens uxoris artibus, et minis misere interficitur. Id evenisse statuendum est primis saltem anni suprascripti mensibus Seleucid. CXXCVII, expirante jam anno Juliano V. C. Varr. DCXXVIII, vel insequenti jam inchoato. Hinc sequitur Seleucum V ejus filium natu majorem regni paterni successorem se profiteri non potuisse, nisi post id temporis, et circa ineuntem saltem An. V. C. Varr. DCXXIX. At vero, ut jam probatum est, ante quam exiret idem Seleucidarum annus CXXCVII, Cleopatra interfecto Seleuco filio, sola per aliquod tempus regnum tenuit, tum in consortium vocavit Antiochum filium natu minorem. Igitur ex his concluditur uno eodemque anno auspicia regni Cleopatrae, filiique Antiochi infanda Demetrii, et Seleuci caede foedata fuisse, Seleuci vero regnum angustis admodum limitibus circumscribendum esse, nec iniuria statui debere illud vix semestre spatium attigisse; denique nec mirum videri posse, si ob tam breve precarii ejus regni tempus, quod fortasse longe brevius etiam extitit, ac praesertim Cleopatra adeo dominante, nulli hactenus inventi sint nummi, qui certa ratione eidem sint adscribendi. Nummum Sestinii hic subjicere placet, non modo ad ea confirmanda, quae hactenus dicta sunt; verum etiam ob Deae, et Cereris titulos, quos Cleopatra suae jam potestatis post patratam suorum caedem, initio statim sibi arrogasse evincitur. Extat Descript. Num. Vet. pag. 499.

Caput Cleopatrae diadematum, et velatum.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΘΕΑΣ ΕVΕΤΗΡΙΑΣ ΖΠΡ Duplex cornucopiae, in area ΣΥ in monogrammate. Arg. 1.

Exempla profert Cl. Vir vocis ΕVΕΤΗΡΙΑΣ pro Cerere ex inscriptione Prisci Juventiani apud Spon. Altera etiam apud eundem, Sabina nempe Hadriani uxor appellatur ΝΕΑ ΔΗΜΗΤΗΡ. *Nova Ceres* etc.

Caput Antiochi VIII diadematum, et radiatum.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟV Noctua amphorae jacenti insistens. Infra acrostolium, et notae ϙΡ An. CXC. Ær. 3.

Alius similis, sed post notas ϙΡ Delphinus. Ær. 3.

Alius, sed ΑϙΡ, et acrostolium. Ær. 3.

Alius, sed notae ΑϙΡ minutissimis literis, et Dioscurorum pilei. Ær. 3.

..... ΟΠΑΤΡ ....

ΚΑΙ ΑϙΡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟV Cornucopiae oblongum, ut putat Froelich., vel Tubus, ut videtur superne inflexus basi impositus. Ær. min. Tab. IV. n. 71. Annus est CXCI. Vide formam notarum in schemate.

Nota Α habet punctum loco lineolae in medio, ut in sequenti nummo in voce ΕΠΙΦΑΝΟVΣ. Nota quoque, quae annum XC exprimit tam tenui puncto, vel lineola in crucem veluti distinguitur, ut pro alio numero sumi posset, nisi ratio temporis vetaret. Similem pariter notam vide in sequenti fig. 72, quae tamen et ipsa pro anno XC accipienda. Froelich. Annal. Tab. XIII. n. 20 aversae partis typum fere similem exhibet, sed in nostro basis clarissime cernitur, cui impositum instrumentum; illud vero qualecunque sit, et ipsa inscriptionis dispositio postulat, ut inflexio superne posita conspiciatur. Dubitari nequit, quin suprascripta nota Α unitati exprimendae inserviat, licet, quia minutissima, ejusque extrema punctis terminentur fucum

facere possit, et de anno IV accipienda videatur. Id enim praeter allatum supra exemplum, vetat ratio temporum. Constat enim Cleopatram anno jam Seleucid. BqP venenum, quod filio paraverat, in suam perniciem convertere, eoque meritam sibi necem consciscere debuisse. Hinc quem affert Cl. Sestinius Descript. N. Vet. p. 499 sub num. 6 cum epigraphe Cleopatrae, et Antiochi VIII, additis notis ΔqP, sic se habere nequit, sed prima nota esse debet A, ut ex dictis patet.

Caput Antiochi VIII radiatum.

Epigraphe in aversa, ut in praecedentibus una cum matre Cleopatra. Noctua diotae jacenti insistens. Ær 3.

Alius, sed in area IE. Ær. 3.

NVMMI SOLIVS ANTIOCHI VIII

Caput Dianae v. d.

ΒΑΣΙ...... ANTIOXOV ϞP..... An. CXC Ær. 3. Tab. IV. fig. 70. Navis, et in imo lit. Phoeniciae.

Nummus vetustate male habitus forte Tyriorum, sed editus vivente adhuc matre, ut alii jam editi cum typis diversis.

Caput Antiochi diadematum, et radiatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ANTIOXOV ΕΠΙΦΑΝΟVΣ· Aquila stans cum sceptro transverso oblongo, infra BqP Anno CXCII, et amphora jacens. In area ad latus IE Ær. 3. Tab. IV. n. 72.

Habes etiam in hoc nummo literam A, de qua paulo supra dictum est. Item secundam notam q tam tenuem etiam in suprema parte, ut fucum facere posset, et de anno X sumi. Lit. IE interpretari nequeunt de Æra aliqua Vrbium, quae sese in libertatem asseruerant, ut Tyrus, et Sidon, quoniam annus XV cum altero Seleucidarum BqP componi nequit. Praeterea eaedem lit. IE occur-

sunt etiam in altero Antiochi VIII nummo, in quo extant notae ΣqP apud Froelich. Annal. Tab. XIII n 29. Vide etiam easdem literas in sequenti, sicut etiam in praecedenti.

Caput Regis Antiochi VIII radiatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ Aquila stans cum hasta transversa. In area ΙΕ. Dupl. Ær. 3.

Alii sex, in quibus diversa monogrammata, atque idem semper caput radiatum Antiochi VIII Ærei 3.

Caput Antiochi VIII radiatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ Fulmen alatum cum taeniis, et cum super imposita corona. Ær. 3.

Caput Antiochi VIII diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Mulier tutulata stans, d. ancoram, s. cornucopiae. In area ad latus Ε, cui super impositus Ρ. Ær. 3.

Caput Regis Antiochi VIII diadem. radiatum.

ΒΑΣΙΛ....

... ΤΙΟΧΟΥ

ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ad latus s. in area monogramma, ut in praecedenti. Duplex cornucopiae cum taenia oblonga cadente ad s. supra luna bicornis inter binos globulos, utrimque insuper dependentibus uvae racemis. Ær. 3.

Caput Dianae cum pharetra ad hum. s.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

..ΠΙΦΑΝΟΥΣ Apollo stans d. telum, s. arcum sustinet. Ær. min.

Caput Antiochi VIII Epiphanis vulgo Grypi radiatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙ ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ Juppiter seminudus stans, d. aquilam, s. hastam. In area ΣΕ. Ær. 3.

Alii tres similes, in quibus omnibus ΣΞ. Ær. 3.

Caput Antiochi VIII radiatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙ ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ Juppiter stans, ut in superioribus cum aquila, et hasta. In area CϽ. Ær. 3. Tab. IV n. 73.

Hosce nummos hic recensendos duxi, quod lineamenta capitis plane consentiant cum praecedentibus hactenus descriptis Antiochi VIII, quique caput pariter radiatum offerunt. Pellerin. fere similem delineatum refert Pop. T. II. Tab. LXXXV. n. 27, sed literas in area positas legit Cω cum in nostro habeatur praeter C lunatum episemon notae VI numeri, ut in Tetradrachmis, aliisque aereis Antiochiae Syriae numinis, sic Ͻ; ita ut, si utraque nota ad annum designandum apposita dicenda sit, esset iste An. CCVI, qui Antiochi regno, de quo sermo est, optime conveniret. Nam postremus in ejus nummis annus occurrit ΒΙΣ; ex veteri autem historia, ut initio diximus, longius quoque Rex iste vitam protraxit. Etiam in nummis Ptolemaidis notae habentur ΘΠΡ, quae ad unum hunc Antiochum pertinent. Neque pro epocha admittenda obstare potest lunatum C. Constat enim jam a tempore hujus Antiochi, sive jam ab anno V. C. Varr. DCXLVII, praeter quadratas literas, etiam lunatas adhiberi consuevisse, ut alibi probatum.

Nostri hactenus recensiti nummi habent epigraphen ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙ ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ, quae confirmat lectionem Pellerinii, et Eckhelii, contra Vaillantium, qui legebat eo loco ΕΠΙ ΠΡΟΣ, et contra Froelichium, aliosque, qui ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ videre sibi visi fuerant. Quod judicium ferendum sit de regione, in qua ortum habuerint hujusmodi nummi consulendus prae caeteris Pellerinius loco cit., qui, consentiente Eckhelio, praefert fontes Callirhoe dictos, et trans Jordanem positos, cui opinioni favent etiam sinuatae literae, de quibus diximus; minus enim mirari subit, quod in Judaeae, et Palaestinae regionibus, ut et

in aliis barbaris Nationibus, quarum lingua tantopere a graeca diversa, si in adhibendis graecis literis quandoque minus usitatas cum nobilioribus, quadratisque ea jam aetate coniungerent.

Caput diadematum, et radiatum Regis.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΙ Juppiter stans d. extenta corollam gerit. In area A intra Γ, et parva cortina reticulata Apollinis in conum desinens. Ær. 3.

Alius, sed in area ΕΑ inversis literis, et sine cortina Apollinis. Ær. 3.

Froelich. Annal. p. 91. n. 9. legit ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ, sed legendum, ut supra ΔΑΦΝΗΙ.

Ex simili autem capite radiato cum praecedentibus sequitur, et hos quoque Antiochensium ad Daphnen Antiocho VIII adscribendos esse.

ANTIOCHVS IX PHILOPATOR, vulgo CYZICENVS

Antiochus IX frater, et consobrinus Antiochi VIII ob patrem Evergetem, et matrem Cleopatram, ab Vrbe, in qua fuerat educatus Cyzicenus dictus. Syriam invadit, fratremque adigit, ut parte regni decedat. Non tamen arma dimittuntur, et a fratribus inter se dimicantibus Syria omnis vastatur, donec Antiocho VIII ex insidiis interfecto, illius filius Seleucus VI praelio victum Antiochum IX vita, regnoque privavit. Annus primus in ejus nummis occurrit ΘϘΡ Seleucid. CXCIX, quem a Froelich. memoratum Annal. pag. 97 ex suo Mus., item ex Haymo, Vaill., Beger., ac Theupol., ab Eckhelio in sua Regum Syriae Descript. T. III. D. N. V. pag. 241 omissum fuisse miror. Postremus signatur in nummo Sestinii Descript. N. V. pag. 501. n. 10. ΑΙΣ An. Seleucid. CXI. Biennium circiter superstes fuit

Antiocho fratri Grypo, extinctus circa An. Ærae Seleucid. CCXVIII, V. C. Varr. DCLIX. A. X. XCV.

Caput Antiochi IX diadematum, et cum aliqua vix languine barbae.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΙΔΩ ΙΕΡ ΑΣΥ Ɛ̄ Pallas galeata stans, d. victoriolam, s. hastam, et clypeum sustinet. Numm. elegantissimus, pulcherrimusque. Arg. 1. Tab. IV. n. 74.

Similem describunt Froelich. Annal. p. 99. n. 15, et Eckhel. D. N. T. III p. 242, in eoque numerum Ε, idest V agnoscunt, quem etiam interpretantur de nova Æra Sidoniorum ab adepta libertate instituta. Sed in meo est nexus literarum Σ, et Ε, ut supra. Literae singulae in hoc praeclaro numismate in extremitate totidem punctis finiuntur. In nomine Antiochi, et in ipsius titulis non semel occurrunt literae Ε, et Σ, quae tamen nihil habent commune cum suprascripto nexu Ɛ̄. Itaque in numismate citato Cl. Froelichii vereor, ne potius nexus sit admittendus. Caeterum de nova libertatis epocha a Sidoniis instituta vide mox sub Demetrio.

Caput Antiochi IX diadematum, et cum aliqua barbae languine.

..ΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ......ΟΠΑΤΟΡΟΣ Ξ, Anno CC Fulmen alatum, et monogramma, insuper acrostolium. Duplex Ær. 3.

Nota Ξ in hisce nummis similis illi, qua scribitur vox ΒΑΞΙΛΕΩΞ, et eo loco posita conspicitur, quo in aliis epocha ex pluribus notis constans designatur. Hinc de anno Seleucid. CC cum Froelichio minime dubitandum, qui optime convenit Antiocho IX philopatori, cujus nummi notas insuper exhibent ϴϥΡ, ΑΣ, ΓΣ.

Caput Palladis galeatum.

..ΑΣΙΛΕΩΣ

ΑΝΤΙΟΧΟΥ

... ΛΟΠΑΤΟΡΟΣ Dimidia navis. Ær. min.

SELEVCVS VI ΕΠΙΦΑΝΕΣ NIKATOR

Seleucus VI Antiocho Grypo ex Tryphaene natus post patrem interfectum non ante Seleucidarum annum CCXVI, in ejus regni partem succedit, moxque Antiochum Cyzicenum patruum bello adortus superat, et Syriam universam sibi vindicat. Sed brevi a Cyziceni filio Antiocho X dejectus Mopsuestiam fugiens, ibique tributa acerbius exigens in propria domo vivus exuritur, nondum triennio elapso, ex quo regnum auspicatus fuerat. In ejus nummis notae chronologicae desiderantur.

Caput Seleuci VI diademate revinctum intra coronam.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΣΕLΕVΚΟV
ΑΕ+Σ
ΕΠΙ+ΑΝΟVΣ
ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ

Pallas stans galeata, d. victoriolam, sin. hastam, et clypeum gerit. In area ramus. Arg. 1. Tab. V. n. 75.

Est rudioris fabricae, quam sint caeterorum argentei; ita ut in suspicionem vocari posse videretur, nisi eum praeter imaginem, literasque ad vivum expressas, literarum nexus nondum editus vindicaret. In aliis hactenus editis exhibentur voces ΑΛΕΔΗ, vel ΑΛΕΔΙ, et ΝΕΙΣΙ. Sed in nostro clarissime legitur sic Æ+Σ, et lit. + simillima illi est, quae in titulo Epiphanis occurrit. Nexum etiam agnoscere oportet in tribus primis, quae cum caeteris id exprimunt ΑΝΕΦΣ, de quarum tamen sensu difficile est divinare, quemadmodum de aliis pluribus hujus generis vocabulis, quae in Seleucidarum Regum numismatibus frequenter occurrunt.

Caput Seleuci diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΣΕΛΕVΚΟV

ΕΠΙΦΑΝΟVΣ

ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ Apollo nudus stans, d. sagittam, s. columellae innititur. In area ΚΑ. Ær. 3. Tab. V. n. 76.

ANTIOCHVS X EVSEBES PHILOPATOR

Antiochus X Antiochi IX fil. paternae caedis vindex Seleuco VI dejecto regnum adipiscitur, sed brevi post ab Antiocho XI, et Philippo Seleuci fratribus Syriaco regno ejicitur.

Caput Regis diadematum imberbe.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟV ΕVΣΕΒΟVΣ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ Infra ΟΧ Dioscurorum pilei cum astris. Ær. 3.

Antiochus XI Epiphanes Philadelphus ex Antiocho VIII cum Philippo gemello fratre natus, vix delibata cum fratre adepti regni societate, collatis signis cum Antiocho X, in Orontem praeceps actus, dum fugam arriperet, misere interiit.

DEMETRIVS DEVS PHILOPATOR SOTER

Demetrius iste Antiocho VIII genitus Cnido evocatus Damasci Rex constituitur. Antiochum X adiuvante Philippo fratre regno expellit. Sed suscepto contra Philippum fratrem bello, improspere rem gerit, atque in Parthorum, qui Philippo opem tulerant captivitatem misere incidit, apud quos brevi morbo absumitur. Ejus regni initia quantum ex nostro nummo mox describendo nunc primum patet ab anno Seleucidarum ΖΙΣ An. CCXVII inchoanda; finis vero ex altero Pelleriniano, Seleucidarum anno ΔΚΣ CCXXIV assignandus.

Caput Demetrii Philopatoris cum aliqua tantum barbae languine diademate revinctum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ. In imo ad pedes victoriae ΞΙΣ in ambitu ΖΙ > Victoria gradiens dex. elata ad caput, s. palmae ramum Ær. 3. Tab. V. n. 77.

Nummus omni ex parte integer, in quo singulae voces, et notae chronologicae perspicue leguntur. Similem fere, sed cum notis ΗΙΣ exhibet Pellerinius Reg. Tab. XIII n. 2. Similia quoque sunt monogrammata, tum hujus, tum alterius tetradrachmi, qui praecedit ead. Tab., sed notas habet ΔΚΣ. In singulis autem tribus hisce nummis tituli omnes continentur, qui supra descripti sunt. Ante Pellerinium ignotae fuerunt notae quaelibet, quibus Demetrii Philopatoris numismata signarentur, quemadmodum nunc primum innotescit ex hoc nostro Seleucidarum annus ΖΙΣ CCXVII. Atque hic quidem si simul comparetur cum anno ΔΚΣ CCXXIV, qui hactenus postremus est Pelleriniani nummi, probat annos saltem sex integros hujus Demetrii regno assignandos esse, atque insuper menses aliquot, qui ad minus tribuendi ejus primo, postremoque regnandi anno. Merito jam a Pellerinio, Bellejo, et Eckhelio animadversum nummos omnes, quos Froelichius cum suprascriptis titulis ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ in suis Annal. Demetrio primo adscribit, huic nostro restituendos esse, quod jam suadent notae chronologicae, quae primo illi nulla ratione convenire possunt, quemadmodum nec secundo ejus nominis, cujus tituli praeterea sunt plane diversi; sed alterum procul dubio designare, qui posteriori aetate aliquam Seleucidarum regni partem obtinuerit. Vtrum autem Demetrius iste sit idem ille, quem vulgo Numismatici omnes Demetrium ordine tertium appellant, an vero distinguere oporteat inter hunc, et alterum, cui nummi constanter diversos plane titulos adscribunt, carentque

epocha, quae ejus certam sedem in chronologica Seleucidarum Regum serie assignent, nihil hoc loco dicam; sed mox in sequenti quae rationes, quaeque dubia me vehementer ancipitem teneant, veritatis inquirendae causa proponam. Nunc, quod nulli exceptioni propositum esse potest, velut principii loco teneamus: nummos omnes cum titulis ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, quos praefert nummus noster, ac duo Pelleriniani a Demetrio I abjudicandos, et huic uni assignandos. Hujus praeterea regnum non esse coarctandum ad annos quinque, neque circumscribendum ab anno Seleucidarum CCXXI ad annum CCXXVI, quemadmodum plerique ex Chronologis faciunt, cum de Demetrio loquuntur, quem illi tertium appellant. Ejus enim limites hactenus certa nummorum fide terminantur ab anno Seleucidarum CCXVII, ad CCXXIV, ut supra jam dictum est.

Quaedam hic addenda de literis, sive potius notis chronol. ΖΙ, quae in eodem nummo conspiciuntur. Videntur enim positae ab aliqua ex iis Vrbibus, quae sese in libertatem vindicaverant, dimicantibus inter se Antiochis fratribus. Non alteri autem convenire possunt, quam Sidoni, cujus nova adeptae libertatis epocha fluctuat inter An. V. C. DCXLII, et sequentem DCXLIII, qua de re vide in lib. π. de Epochis. Hinc si ponamus notas ΖΙ nummo Demetrii Philopatoris adiectas ad Sidonem pertinere; quoniam in eodem nummo junguntur cum Seleucidarum anno ΖΙΣ, nihil luculentius desiderari potest pro definiendo cardine novae epochae a Sidoniis institutae ab adepta libertate, qui quidem constituendus sit ex autumno An. V. C. Varr. DCXLII. Quemadmodum enim Annus Seleucid. CCXVII, ΖΙΣ ab ejus exordio A. V. C. CDXLII dat annum DCLIX a praecedenti autumno inchoatum, ita pariter dat eundem annum nova libertatis epocha, quae ducatur ab A. V. C. Varr. DCXLII, eidem adiectis ann. ΖΙ, XVII in nummo si-

O

gnatis. Et sane fieri potuit, ut Sidonii libertatem obtinuerint labente anno V. C. Varr. DCXLIII, sed ante autumnum ejusdem anni, ex quo factum fuerit, ex methodo jam comperta, ac saepe probata, quae apud Orientales Vrbes obtinebat, conciliandi epochas cum annis suis civilibus, ut novae epochae instituendae exordium de more rejecerint in caput anni sui civilis, quod praecesserat ex ineunte autumno anni suprascripti V. C. Varr. DCXLII.

Apud Haymum Parte I. Tab. X. n. 2. delineatum exhibetur caput Demetrii diadematum, et modica lanugine aspersum, ut in nummo nostro, et ad occiput extant notae AK. Posterior vero pars sic se habet ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, infra vero ΣΙΔΩΝΙΩΝ, et lit. Phoeniciae. Typus est navis, ut in aliis pluribus ejusdem Vrbis. Annus primus *Demetrii Dei Philopatoris Soteris* ex anecdoto nummo n. est Seleucidarum ΖΙΣ, postremus ex praeclaro altero Pellerinii, qui hactenus innotescat, est ΔΚΣ. Ex calculis paulo ante institutis, cum epochae recentioris Sidoniorum annus ΖΙ jungatur cum anno Seleucidarum ΖΙΣ, consequens erit annum epochae libertatis Sidoniorum AK in Haymiano nummo jungendum fuisse cum Seleucidarum anno ΑΚΣ. Cl. Massonius, qui apud laud. Haym. in iis notis AK Epocham Sidoniorum recentiorem agnoscit, parum a nostris calculis recedit. Sed illi perspecti non fuerunt noster, ac Pellerinii nummi, quibus jam proficere licet, ad aliquid aptius definiendum, ut de annis regni hujus Demetrii, ita et de cardine epochae recentioris Sidoniorum. Atque haec quamquam a me inquirendo magis, quam definiendo proposita sint, dissimulare tamen nequeo, eadem longe mihi verisimiliora videri, quam quae nituntur nummis Trajani, et Hadriani cum notis chronologicis, de quibus vide in cit. lib. de Epoch. sub Sidoniorum Vrbe.

DEMETRIVS PHILOMETOR EVERGETES KALLINIKVS

Caput Demetrii Philometoris diadematum.

.. ΑΣΙΛΕΩ
.. ΗΜΗΤΡΙ
ΙΛΟΜ ΗΤΟ
ΕVΕΡ..... Fulmen corona ornatum mensae imposi-
.... tum Ær. 3. Tab. V. n. 78.

Supplere oportet ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟV ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΕVΕΡΓΕΤΟV ΚΑΛΛΙΝΙΚΟV. Quamvis editus nummus iste apud Vaillant., Theupol., et Froelichium, eundem tamen hic omittendum minime duxi, quia inquisitione dignum arbitror: utrum Demetrius, cui in nummis constanter tituli adjiciuntur *Philopatoris Soteris*, vel *Dei Philopatoris Soteris*, de cujus imagine, et epocha vide in praecedenti, diversus habendus sit a Demetrio, quem nummi pariter omnes hactenus editi non aliis titulis appellant, quam *Philometoris Evergetis Callinici*. Vtrumque diversum agnoverunt Vaillantius, Froelichius, aliique plures, atque ignorata epocha, quam in Philopatoris moneta primus detexit Pellerinius, ejus nummos Demetrio I, Philometoris vero Demetrio III adscribebant. Pellerinius consentientibus Barthelemyo, Bellejo, omniumque postremo Eckhelio, ex notis ΗΙΣ, et ΔΚΣ, de quibus pariter in superiori numismate dictum est, tam Philopatoris, quam Philometoris nummos uni Demetrio tribuendos statuit, qui vulgo III appellari solet.

Ipse tamen, ut ingenue fatear, quod sentio, ita statuendum arbitror: abjudicandos quidem Philopatoris nummos a Demetrio I, ac suadentibus notis chronol. duplicis Pelleriniani, meique insuper, ad posteriora tempora esse referendos; sed rursus inter eos Philopatoris, et Philometoris discrimen agnoscendum, atque hunc ab altero diversum ha-

bendum. Haec autem potissimae sunt rationes, quae me ad hoc ferendum judicium impellunt. Primo enim in universa Seleucidarum Regum serie nullum aliud simile exemplum reperies, quod nempe in unum, eundemque Regem tot nomina unquam simul congesta fuerint, ac publicae monetae inscripta. Postremis etiam ejus regni temporibus, quibus mos invaluerat, ut Reges magnum ex hujusmodi titulis numerum sibi arrogarent, Antiochis non plura, quam quatuor nomina in nummis adjecta leguntur, aetate vero praecedenti plerumque pauciora, vel etiam nulla. In hypothesī autem, de qua loquimur, uni Demetrio sex non minus tituli, iique publica moneta inscripti convenirent. Quibus praeterea, si Eckhelio fides habenda, alter ΕΥΣΕΒΟΥΣ Doctr. N. V. T. III p. 245, ex Josepho vero alter *Eucaeri* addendus foret, quoniam ille eorum temporum Demetrium sic vulgo appellatum fuisse scribit.

Accedit secundo, quod quando uni Regi plura nomina, titulique convenirent, promiscue in nummis adhiberentur, atque ita quidem, ut sive plures, sive pauciores inscribere placeret, facile tamen esset djudicare ad unum eundemque Regem nummum editum pertinere. At in casu nostro contrarium plane admittendum foret. Septem haetenus innotescunt nummi Philopatoris cum eadem singuli epigraphe, quam supra dedimus, quin unquam ullus adjiciatur titulus ex iis, qui in tribus, vel quatuor Philometoris hactenus editis leguntur. Idem similiter occurrit in nummis Philometoris, in quibus nunquam alterius tituli conjunguntur. Num credibile est nunquam adhibendos fuisse in totidem Philopatoris nummis titulos, qui in iis Philometoris leguntur, ac vicissim, si illi unius ejusdemque Demetrii proprii essent? Qua propterea ratione djudicare fas erit nummos eos omnes uni, non duobus Demetriis convenire?

Tertio loco animadvertam, quod si Demetrius idem patris, simulque matris amans appellari meruisset, compen-

dio potius scribendum fuisset ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΣ, quo nomine proprie exprimitur affectus, et amor liberorum in parentes, ac vicissim parentum in liberos. Hac de causa Cyrus apud Xenoph. vocatur παῖς φιλόστοργος, eodemque vocabulo utitur Cicero ad designandam amoris significationem, qua in sermone usus fuerat Q. Tullius erga suos parentes, epist. 9. lib. XIII ad Attic. *Nihil*, inquit, *possum dicere* φιλοστοργότερον; in duplici etiam marmore apud Corsinium, et Bellejum, quod supra in Ariobarzane Eusebe Philoromaeo attulimus, idem Rex vocatur filius ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΘΗΝΑΙΔΟΣ ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΥ, quo quidem, ut jam diximus vocabulo, amor etiam parentum in filios exprimebatur.

Denique, ut alia omittam, in meis duobus nummis, quorum alter Philopatoros, de quo paulo ante dictum est, alter Philometoros, quem hic descripsimus, vultus lineamenta ita diversa sunt, ut non unum Demetrium in iis, sed binos agnoscere oporteat. Adeat propterea eruditus lector utriusque iconismum.

Cl. Pellerinius, et cum eo caeteri, quos supra innuimus, ad eam delati sunt opinionem, ut putaverint utriusque Demetrii Philopatoris, et Philometoris nummos idcirco uni Demetrio vulgo III esse adscribendos, quod a veteribus Scriptoribus tres Demetrii tantum inter Seleucidarum Reges memorentur, quodque praeterea de singulis tempora consentiant. Nemo tamen ignorat plura in veteri historia omissa desiderari, plura etiam deperdita fuisse, quae magnam nobis modo de rebus, virisque principibus tam vetustae aetatis ignorationem afferunt. Antiochum VIII vulgo Grypum quatuor ex duabus uxoribus suscepisse filios, qui singuli Reges extiterunt satis compertum habemus, quas autem illi uxores habuerint, quosque genuerint liberos in obscuro plane versatur. Plura alia adhuc delitescunt, quae ad eorum temporum historiam pertinent, ita ut illorum Regum series, resque gestae nondum recto or-

dine dispositae esse videantur, idque unice sperandum sit ex nummorum subsidio, qui deinceps eruantur. Exemplum dedimus jam paulo ante de annis Demetrii Philopatoris; dabimus quoque infra ex Philippi Regis nummis. Itaque nihil repugnare arbitror, silentibus etiam veteribus Scriptoribus, quod circa postrema regni Seleucidarum tempora duo extiterint Reges Demetrii, quemadmodum argumenta, quae attulimus, neque sane ut arbitror contemnenda, demonstrant. Diversitas praesertim imaginum rem plane conficere mihi videtur.

PHILIPPVS EPIPHANES PHILADELPHVS

Caput Philippi Regis diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ Juppiter sedens d. victoriolam, s. hastam gerit. Arg. 1.

Ortus Philippus ex Antiocho VIII cum Antiocho XI fratre gemino. Hoc autem in bello a geminis fratribus suscepto contra Antiochum X Eusebem, in Orontem flumen demerso, altero fratre Demetrio opem ferente, Antiochum Eusebem tandem superat, eoque e Syria ejecto regnum sibi ibidem asserit, atque confirmat; quod etiam in annum usque Seleucidarum CCXXIX tenuisse mox constabit. Nam cum hic noster nummus, caeterique hactenus editi careant notis chronologicis, ex indice vero MS Musei Ainseliani, quem Cl. Sestinius, dum Romae esset, mihi perhumaniter communicaverat, in schedis meis tres eximios hujus Philippi nummos Seleucid. aera insignes adnotaverim, illos in chronologiae commodum hoc loco minime omittendos duco. Eosdem deinceps Praecl. Auctor edidit in libr. Descript. N. Vet. p. 501.

Caput Philippi Regis diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Infra ΖΚΣ An. CCXXVII, in area monogramma ANT

Juppiter sedens, d. victoriolam, s. hastam. Duplex Arg. 1.

Alius similis, sed notae HKΣ An. CCXXVIII, in area idem monogramma. Duplex arg. 1.

Alius, sed notae ΘΚΣ. Duplex arg. 1.

Hujusmodi notae cum historia mirifice concordant. Tigranes enim Armeniae Rex a Syris, qui perpetua, sibique infesta Regum Seleucidarum dissidia ferre amplius non poterant, evocatus scribitur anno Seleucidarum CCXXIX, qui in postremo Philippi numismate notatur, in id consentientibus Froelichio in Annal. p. 112, qui annum suprascriptum praefert, Eckhelio D. N. T. III p. 247, qui annum sequentem Seleucid. CCXXX assignat, ne caeteros hic commemorem, qui partim hanc, partim alteram sententiam amplectuntur. Hinc etiam sequitur attento annorum Seleucidarum ordine, Demetrii Philopatoris nummos a nobis jure fuisse praemittendos. Typum aversae partis, itemque monogrammata ANT, Antiochiam Syriae ad Orontem designare nemo sane in dubium revocabit. Ex quibus etiam inferes eam Syriae potiorem partem ante adventum Tigranis Philippo Regi Philadelpho paruisse, circa tres ad minus annos.

Praeclara itaque hujusmodi monumenta magno, ut patet, adiumento sunt ad eorum temporum historiam illustrandam, atque ad chronologicam annorum seriem bono in lumine collocandam in supremum fere Seleucidarum regni tempus. Nam dejecto per Lucullum Tigrane post duodevigesimum annum, ex quo Syriam occupaverat, ad ejus finem unus superest locus Antiocho postremo, ac brevissimi in Syria regni, de quo mox dicturi sumus.

ANTIOCHVS XII DIONYSVS EPIPHANES PHILOPATOR CALLINICVS

Caput Regis imberbe diademate revinctum, et cum chlamyde ad humeros.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ
ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ
ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ

Juppiter habitu talari stans, d. victoriolam gerit, s. hastam. In imo monogramma. Ær. 2. Tab. V. n. 79.

Caput Regis imberbe cum chlamyde, ut in praecedenti, ac diademate ornatum, taeniis dependentibus.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΕΠΙΦΑΝ..
ΦΙΛΟΠΑΤΟΡ
ΚΑΛΛΙΝΙΚ
ΡΞ

Mulier cum parvo tutulo in vertice stolata s. parvum cornucopiae, d. ramum Ær. 3. Tab. addit. XXXIX fig. 69.

Caput Regis pariter imberbe, ac diadematum.

...ΣΙΛ...
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΟ..
ΦΙΛΟΠΑΤ...
ΚΑΛΛΙΝ....

Apollo nudus stans, d. arcum gerens, s. tripodi innititur.

In area ad latus monogramma Ær. min. Tab. V. n. 80.

De tribus suprascriptis nummis libentius assentior praeclariss. Froelichio, qui post Haymium singulos quosque eorum ad unum eundemque Antiochum, Antiochi Pii filium, Cyziceni nepotem referendos statuit in Annal., quam cum Doctiss. Pellerinio, quem dubitanter tamen sequitur Eckhelius, in primo eorum ob Dionysi cognomen Antiochum a reliquis duobus diversum agnoscere. Pellerinii opinio niti-

tur praecipue Josephi testimonio, qui Lib. XIII Antiq. scribit Antiochum Antiochi Epiphanis, vulgo Grypi filium natu minimum Dionysi cognomine appellatum fuisse. Sed multa sunt argumenta, quae clare ostendunt praeclarum hunc caeteroquin Haebraeum Historicum in errorem abreptum fuisse, sicut et in aliis Regum Syriae cognominibus recensendis non semel errasse ex ipsis nummis convincitur. Ac primum ipsius testimonio opponere fas est alterum Mosis Chorenensis Armeniaci Historici, qui lib. 2. cap. 13 Antiochum Cleopatrae Selenes, quam Tigranes Ptolemaide obsedit filium, Dionysium appellat; Malelae insuper alterum, qui hunc ipsum Selenes Antiochum Dionysum pariter nominat. Antiochus vero, de quo sermonem habet Josephus ex Antiocho Grypo, et Tryphaene genitus fuerat. Atque haec duo testimonia, quae alteri Josephi opponuntur, illudque saltem in dubium revocant, opportune jam protulerat laud. Froelich. in suae sententiae confirmationem. Eo autem magis magisque de Josephi textu dubitandum, quod ille de Bello Jud. Lib. I. cap. IV. Antiochum Dionysum apellat omnium novissimum, qui Seleucum generis auctorem habebant, quod unice Antiocho Pii fil. convenire videbimus.

Alterum argumentum ducitur ex ipsius Antiochi Grypi filii brevissimo regnandi tempore, et loco, in quo regnum tenuit. Iste itaque Antiochus Grypi, et Tryphaenae filius a Josepho memoratus, intellecta Demetrii fratris captivitate apud Parthos, quod contigit anno Seleucid. 226, ante Christ. 87. A. V. C. DCLXVII, comparato exercitu, in Coelesyria Damascum occupat, eaque potitur cum aliqua ejus regionis parte. Anno sequenti expeditione in Arabes suscepta, et obiectas ab Alexandro Jannaeo per Judaeam transituro munitiones celeriter, solerterque extructas evertit, ac superat, statimque ad Arabes penetrat. Tum proximo anno Seleucid. 228. V. C. DCLXIX variis commissis proeliis, primo victor, deinde victus; dum acriter pugnat misere

interficitur, et cum eo universus pene exercitus periit. Dum autem in ea expeditione versaretur, Philippus frater regnum ejus invadens, Damascum ex proditione recipit; sed cum beneficii immemor ingratum se proditori Milesio Praefecto exhiberet, ab ea excedere cogitur, et Vrbs Antiocho servatur, qui tamen, ut diximus, in praelio occisus, nec illam amplius videre, nec in suum regnum reverti potuit. Haec igitur, quae ex Seleucidarum historia constant, simul probant regni Antiochi Grypi filii tempus biennii spatio plus minus circumscribi, illudque Philippi fratris incursione turbatum fuisse; ipsum vero Antiochum vix in Vrbem Damascum, suique regni possessionem pedem posuisse, statimque totum se ad expeditionem Arabicam preparasse, in eaque reliquum tempus omne ad interitum usque insumpsisse.

Post interfectum in proelio Antiochum Damasceni rebus suis consulentes, ac Ptolemaei Jannaei Chalcidis Dynastae tyrannidem subire metuentes, quem oderant, nec quicquam spei ponerent in duobus, qui supererant Antiochi Grypi filiis, se, Vrbemque suam Aretae Regi Arabi tradunt. Quod accidit eodem fere tempore, quo Armeniae Rex Tigranes a Syris vocatus, ejecto Philippo, et Antiocho Pio, subactisque ferme omnibus cis Euphratem Seleucidarum provinciis cum Syria, eandem Magadati copiarum suarum Duci regendam committit: quod novum Tigranis regnum tranquillissime per annos XVIII administratum est, totidemque circiter annis Damasci quoque Vrbs cum aliqua ejus regionis parte ab Arabiae Regibus retenta fuit, donec a Metello, et Lollio ejus temporis Rex Aretas Damasco ejiceretur. Quae omnia recte, atque ordine probata invenies in laud. Froelichii Annalibus.

Atque haec necessario praemittenda erant, ut secundo loco perspicue constaret nummum cum titulo Dionysi, quem Pellerinius cum Eckhelio Grypi filio Antiocho natu

minimo adscribendum censuerant, nulla ratione ad eum spectare posse. Nam si eidem concedendus foret procul dubio in Vrbe Damasco signatus fuisset, quae unica fuerat ejus parvi regni sedes, quamque, ut supra probatum est, tam brevi tempore obtinuerat cum proxima aliqua regione adiecta. Porro nummi omnes, qui per ea tempora, praesertim ex Damascenae Vrbis officinis monetariis prodiere, sunt rudis admodum fabricae, nullaque ratione comparandi cum illo, de quo quaestio est: habent insuper in aversa parte Mulierem turrito capite rupi insidentem cum cornucopiae in s., et sub pedibus caput exerit fluvius emergens. Talis est profecto meus anecdotus cum eadem aversa Mulieris fig., sed in anteriori imaginem offert Aretae juvenilem regali majestate decoram, et cum naso insigniter aquilino, praeter diadema, sive fasciam grandiorem, et opere phrygio ornatam; epigraphe vero aversae incomptis admodum literis constat, in qua legitur, ut in eo edito a Froelich. Annal. Tab. XVI n. 2 ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. Eum vide supra p. 23. Nihil igitur luculentius desiderari potest ad Pellerinii opinionem excludendam.

Addamus denique quae ex ipsis nummis manant, et fluunt. Hactenus innotuerant ex Haymio, et Pellerinio Antiochi, de quo sermo est, cum titulo *Dionysi* nummi, qui ejus faciem conspicue barbatam exhibent: meus primo loco descriptus nullo a vetustate detrimento accepto, atque omni ex parte integritate praestans, faciem offert ipsius Antiochi Dionysi plane imberbem. Fieri ne potuit, ut Antiochus, qui tam brevi tempore fuit Damasci Regulus, illudque regnum, ut dictum est, vix delibavit, modo barbatus, modo vero imberbis plane exprimi potuerit? Non ex captivitate apud Parthos, ut Demetrius frater, redux Damascum occupaverat, non ex Arabica expeditione victor, revertensque barbam deponere voluisse fingi potest. Haec sane mutatio aliquam procedentis aetatis diuturnitatem re-

P 2

quirit, quae in Antiocho Pellerinii intelligi nequit. Fabrica deinde tam eorum nummorum, qui sunt *Dionysi*, quam caeterorum sine eo titulo eadem est, aversa quoque Jovis stantis in utrisque occurrit, quae certo indicio sunt ab una singulos quosque officina profectos, ab ea tamen Damasci diversa.

Dejecto autem, et jure quidem, ut arbitror, Antiocho Grypi de ea sede, quam ei statuerant Eckhel., et Pellerinius, nullus alius superest, qui in ejus locum substituatur, nisi Antiochus *Eusebis*, sive *Pii* filius, quem consentiunt Numismatici omnes fuisse in serie Regum Syriae postremum, cui propterea praeter tres in singulis hujusmodi nummis memoratos titulos *Epiphanis*, *Philopatoros*, *Callinici*, alter etiam *Dionysi* conveniat. Novum non est, quod in similibus Regum nummis tituli modo singuli, modo do pauciores adiicerentur. Pellerinius ipse, et Eckhelius, et nos quoque tam in lib. Vulg. Ærae, quam in hac serie superius suo loco probavimus *Nicephori* cognomen habendum non esse pro argumento unius, et alterius Antiochi, sed fuisse proprium unius Antiochi IV, qui plerumque in suis tetradrachmis eum eodem Jovis typo tantummodo inscribitur *Deus Epiphanes*. In hunc scopulum quoque incidisse videmus, ut de caeteris sileam, praeclariss. Froelichium, qui in suis Annal. *Nicephoro* duodecimam in serie Regum sedem assignavit. Antiochus noster Pii, et Selenes filius ille est, cujus matrem Tigranes post occupatam Syriam, subactisque caeteris fere omnibus cis Euphratem provinciis Ptolemaide obsederat, ac deinceps Seleuciae castello inclusam morti addixerat, quod evenit circa annum Ærae Seleucid. 243 ante Christ. 70, V. C. DCXXCIV. Idem ille est, de quo scribit Appianus de Bellis Syriac. pag. edit. Paris. 119: jam a Lucullo devicto, et expulso e Syria Tigrane: *Interim Antiochus Pii filius, Syris non invitis in regnum sese insinuavit, nec Lucullus Syro avitam possessionem*

invidit, quem tamen Pompejus Luculli successor, spoliavit regno Syriae. Et in fine ejus Libri post quam narraverat: a Tigrane Antiochum *Pium* regno Syriae pulsum, subdit: *cujus filium ex Selene genitum, educatum in Asia, et inde cognominatum Asiaticum, Pompejus privavit regno Syriae*.

Ex quibus omnibus tandem corollarii loco sequitur: cum Pompejus circa tempus consulatus Ciceronis Syriae regnum in provinciae formam redegerit, atque exinde Seleucidarum regnum finem habuerit, tunc Antiochum quoque nostrum Pii filium eo excidisse, quod circa sexennium permittente Lucullo retinuerat, eique propterea Seleucidarum Regum postremo inter eos, qui Antiochi nomen tulerant duodecimum locum assignandum esse.

Vtrum vero Antiochus iste, de quo hactenus egimus, qui Asiaticus merito appellatus, quod in Asia educatus fuisset, idem fuerit ac Antiochus Commagenus magna quaestio est. Vaillantius quidem, Froelichius, ac postremo Eckhelius, unum eundemque esse affirmant. Sed consultius multo doctissimus Massonius apud Haymium Parte I. pag. 117 fatetur: *rem hanc obscurissimam sibi videri, licet omnia Scriptorum antiquorum loca ad accuratum examen revocasset*. Ac mihi quidem contrarium potius judicium ferendum esse videtur, atque unum ab altero diversum extitisse, si loquendi proprietatem, qua veteres ipsi Scriptores utuntur sedulo attendamus. Appianus in recitatis superius testimoniis cum de eo Antiocho sermonem instituit, qui consentiente Lucullo in regnum Syriae se insinuavit, quemque deinceps Pompejus eo regno privavit, nunquam Commagenum appellat, sed *Pii filium, ex Selene genitum educatum in Asia*. E contrario cum de rebus a Pompejo gestis post Lucullum loquitur in Mithrid. pag. edit. Paris. 244 scribit: Pompejum deinde superato Tauro bellum Antiocho *Commageno intulisse, donec, et ille in amicitiam*

receptus est. Et pag. 251 subdit: E subiectis autem gentibus attribuit Regibus, *Tigrani Armeniam*... *Antiocho Commageno commisit Seleuciam, et quidquid ex incursu in Mesopotamia ceperat*. Vides hic Appianum in utroque testimonio nonnisi *Commageni* nomine appellare Antiochum, quem Pompejus bello victum, postea in amicitiam recepit. Jam ante sexennium fere Pii filius Antiochus sese in regnum Syriae insinuaverat, quem idem Pompejus eo regno privavit. Pronum erat, ut Appianus hisce locis aliquid innueret, quo ostenderet se non de alio loqui, quam de Selenes, et Pii filio, si ita revera se res habuisset. Insuper idem Appianus priori cit. loco pag. 244, postquam dixerat Pompejum Antiocho Commageno bellum intulisse, subjungit: *praeterea quidquid Syriae circa Euphratem colitur, Coelen, Phoeniciam, Palaestinam, Idumaeam, Ituraeam, aliasque Syriae partes obeundo, Romanis subiugabat sine certamine: nulla quidem culpa Antiochi Pii, qui tum praesens paternum regnum conabatur impetrare precibus. Sed quia Tigrane, qui Antiochum vicerat, expulso, populo Romano eas regiones acquisitas censebat*. En rursus loquendi proprietas ejusdem Appiani. Hic ubi agit de regionibus Syriae sine certamine subactis a Pompejo, Antiochum Pium memorat, addens id factum, quin ullam haberet accusationem, et querelam contra Antiochum Pium, et unicam affert causam, cur eas regiones populo Romano acquisitas assereret, ab iisque excluderet Antiochum Pium quod illas Tigranes, victo eodem Antiocho occupasset. Supra vero ubi de bello illato sermonem habet, Commagenum nominat. Si autem Commagenus idem esset cum Antiocho Pio, nulla extitisset causa, vel querela, cur illi bellum inferret Pompejus, eumque ab ea quoque regni parte ejiceret, cum ab illa Tigranes ab ipso Pompejo minime expulsus fuisset, nec Antiochus Pius, quo ad eam partem regni Tigranis opera victus, aut pulsus dici queat. Haec

itaque sedulo attendenti novum affert argumentum non sine fundamento, ut arbitror, affirmandi Antiochum Pium, ut et filium ejus Dionysum ab Antiocho Commageno diversum fuisse.

A Dione tandem, ne plura commemorem, hoc ipsum confirmari posse existimo. Hic enim initio statim libri XXXV, cujus fragmenta, quae supersunt continent res gestas Luculli Anni V. C. DCXXCV Q. Hortensio, et Q. Metello consulibus, scribit: *Tigranocerta Vrbem Lucullum cepisse*, et omnibus, praeter ea, quae Cilicum erant, direptis, multisque potentissimorum conjugibus captis, et a Lucullo ab omni iniuria custoditis, quo facto earum maritos sibi coniunxit: *Regem Commagenae regionis (hoc nomen est Syriae ad Euphratem fluvium, et Taurum montem sitae) Antiochum: praeterea Regulum quendam Arabiae Alchaudonium nomine, aliosque nonullos per Legatos secum paciscentes in fidem recepisse*. Hisce positis, quae etiam a Plutarcho in vita Luculli simili fere ratione referuntur, videamus, quid in rem, de qua agimus ex iis inferre liceat. Antiochus Pii filius cum fratre ante annum V. C. Varr. DCXXCIII Romam se contulerat, ibique per biennium fere moras traxerat, ut regnum Ægypti, quod ad se, et ad Selenen matrem suam pertinere arbitrabatur, a Senatu obtineret. Haec constant ex actionibus, quas habuit Cicero contra Verrem, quasque se habuisse idem Cicero scribit in Bruto, nempe *se in hoc certamen venisse cum designato Consule Hortensio*, cujus consulatus index est anni V. C Varr. DCXXCV. Certamen igitur illud actum anno praecedenti DCXXCIV. Videamus ergo, quid tam gravis, et synchronus testis lib. IV in eundem Verrem referat de Antiocho Pio, ejusque fratre. *Reges pueros Regis Antiochi filios pueros, scitis Romae nuper fuisse: qui venerant non propter Syriae regnum; nam id sine controversia obtinebant, ut a patre, et a majoribus acceperant, sed*

propter regnum Ægypti etc. ut supra innuimus. Haec §. 61. De Antiocho autem Pio nominatim, qui fratre per aliam viam in Syriam revertente, ipse per Siciliam iter facere voluerat, ac Syracusas venerat Verre Praetore, a quo omni pretiosa supellectili auro, argento, gemmisque, quae secum reportabat, imprimisque candelabro e gemmis clarissimis opere mirabili perfecto spoliatus, expilatusque e provincia praeceps exturbatus fuerat, haec subdit §. 67, et 68: *Rex Antiochus, qui Romae ante oculos omnium nostrum biennium fere comitatu regio, atque ornatu fuisset, is cum amicus, et socius Populi Romani esset, amicissimo patre... quemadmodum hoc accepturas esse Nationes exteras putatis, cum audierint a Praetore P. R. in provincia violatum Regem, spoliatum hospitem, ejectum socium P. R. atque amicum*? Post haec tam praeclara Ciceronis testimonia concludendum sane videtur Antiochum Commagenum, qui capta a Lucullo in Armenia Vrbe Tigranocerta tum primum cum aliis proximarum regionum Regulis per legatos cum eo pacisci postulavit, seque ejus fidei commisit, a quo etiam receptum fuisse testatur Dio loco superius citato, diversum extitisse ab Antiocho Eusebis filio.

Iste enim Roma profectus, et e Sicilia exturbatus Verre ejus provinciae adhuc Praetore in Syriam pervenisse debuit ante quam Vrbs Tigranocerta a Lucullo caperetur. Quo posito verisimile ne erit Antiochum recens in Syriam advenientem ignotum fuisse Lucullo, cum tot, regiisque honoribus in Vrbe affectus fuisset, ac pro socio, et amico Populi Romani habitus? Itaque haud intelligi posse arbitror, quod capta deinceps Tigranocerta idem iste Antiochus Pius tum primum per legatos cum Lucullo pacisceretur, et in fidem ab eo reciperetur, ut cum aliis Regulis tum factum narrat laud. Dio initio libri XXXV. Atque haec exponenda duxi, si quid lucis ex iis afferri possit ad verita-

tem eruendam de re obscurissima, quam Cl. Massonius citato superius loco intactam reliquit.

Agmen Regum Seleucidarum claudat nummulus, qui sequitur, de quo tamen incertum cui Reginae sit adscribendus.

Caput femineum in florenti aetate velatum.

ΒΑΣΙΛ

ΑΝΤ In medio epigraphes caput elephanti cum proboscide erecta Ær. 3. Tab. V. n. 93.

Imaginem huic similem delineatam exhibet Cl. Froelich. Annal. Tab. XI sub Cleopatra n. 5, sed in aversa parte insculptus cernitur bos gibbosus. Merito suspicantur eruditissimi Viri Pellerinius, et Eckhelius eos nummos cum bovis symbolo, variisque literis, et notis adjectis potius quam in Syriae Regum serie, inter autonomos Vrbis Aradi recensendos esse. Noster hic tamen diversus, et nomen praefert Antiochi Regis. Laudatus Froelichius Tab. IV. n. 5 similem fere huic nostro exhibet, nisi quod caput velatum in eo senilis est aetatis. In illo autem uxorem agnoscit Antiochi I, quod ille elephantorum ope insignem de Gallis victoriam retulisset, quorum propterea figuram in moneta sua signandam decreverit. Si quid hujusmodi argumentum probaret, sequeretur, cum ille duas uxores habuerit, nummos partim uni, partim alteri dicatos fuisse. Nam praeter hunc cum imagine juvenilis aetatis, mihi ante oculos quoque versatur alter cum senili vultu nihil ab eo dissimilis, quem a Froelichio Tab. V exhiberi diximus. Sed revera in incerto manet, utrum hi nummi ad uxores Antiochi I sint referendi, cum posteriores quoque Antiochi elephanti symbola in sua pecunia publica insculpserint.

De Thraciae Regibus, ac nominatim de Rhoemetalce cum imagine Augusti vide in Ser. Imperatorum.

DYNASTAE CHALCIDENES

PTOLEMAEVS MENNAEI FIL. TETRARCHA CHALCIDENES

Caput Jovis laureatum sine epigraphe.
ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ
ΤΕΤΡΑΡΧΗΙ Aquila volans rostro coronam gerit. In area superne nexus ex lit. ΝΕ. In imo monogramma, ut in schemate. Ær. 2. Tab. V. n. 81.

De hoc Ptolemaeo Chalcidis Dynasta bini jam vulgati nummi videndi apud Eckhel. Num. Vet. pag. 279, et de Doct. N. V. T. III. Primum jam ediderat Blondius ex Museo Savorgnano, alterum nostro similem, sed admodum detritum iconismo delineatum exhibet idem Eckhel. ex Museo M. Ætruriae Ducis. Tertium itaque hujus Dynastae locupletissimum testem nunc habes erudite Lector.

Ex hoc autem suae integritati restituendus alter Eckhelianus, ac notandum sphalma in voce ΤΕΤΡΑΡΧΗΙ pro ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, tum literae, sive nexus, qui in illo desiderantur. De Ptolemaeo hoc nostro plura commemorant Strabo, et Fl. Josephus, a quibus pauca hic quaedam delibasse sufficiat. Acceptam a patre Mennaeo Chalcidis Dynastiam cum Heliopoli, Marsya, et Ituraeorum montanis, eam adhuc tenuisse constat, cum Lucullus in administratione Mithridatici belli versaretur; succedente deinde Pompejo post confectum illud tam diuturnum, difficilimumque bellum, Ptolemaeus hic noster mille talentis haereditarium principatum sibi ab eo confirmari meruit. Cum Judaeis Principibus tum amicitia, tum affinitate etiam conjunctum fuisse liquet. Nam gliscente bello civili inter Caesarem, et Pompejum, cum a Scipione Pompeji genero, qui in Syriam anno V. C. Varr. DCCV praemissus fuerat, Alexander Ari-


stobuli Judaeorum Etnarchae filius interfectus fuisset, ejus fratres, teste Josepho, apud se receperat, et Alexandram quoque interfecti sororem in matrimonium acceperat. Eodem anno mortuus scribitur, quo Pacorus Dux, ac Regis Parthorum filius, a Ventidio in campis Cyrrhesticis insigni illa victoria superatus, atque interfectus, quae contigit anno V. C. Varr. DCCXIV. Principatus haeredem reliquit filium Lysaniam nomine, qui tamen Cleopatrae insidiis circumventus quadriennio post ab Antonio cum expeditionem in Parthos per Armeniam suscepturus esset, falsa accusatione insimulatus, quod Parthorum rebus studeret, misere necatur, ab eoque tempore major pars ejus Dynastiae in Cleopatrae Reginae potestatem redacta fuit. Asserere tamen oportet non omnem Ptolemaei stirpem tum extinctam, sed in suprema saltem imperantis Tiberii tempora propagatam fuisse, eamque Abilenae regionis Dynastiam, quae pariter Ptolemaeo nostro subdita fuerat, retinuisse. Divus enim Lucas Evangelii sui cap. III in Indice notisque chronologicis actorum suorum, quas ibidem praemittit, inter caeteros Hebraeos Dynastas, recenset quoque Lysaniam Abilinae Tetrarcham, cui quidem consentit Ptolemaeus, quamvis a caeteris Scriptoribus earum regionum Principes, vel Tyranni, qui plures extiterunt, Plinio teste lib. V, aliis, barbarisque Principatus nominibus designentur.

Hoc loco adiiciendum duco nummum ex Contorniatorum genere anecdotum, qui sequitur.

ALEXANDER Caput Alexandri leonis exuviis tectum, et in area palmae ramus argenteus incusus.

ΠΑΡΘΕΝΟΠΗ Genius Vrbis, sive Parthenope turrita velata, et stolata sedet, ad latus suum sin. utraque manu piscem retinere videtur. In imo Sebetus fluvius aquis innatans ex adverso, utraque brachia extendit. Ær. m.

Vnus iste ex paucissimis inter contorniatos bilinguis, qui nunc primum in lucem prodit Parthenopis figuram referens, quo nomine antiquitus Neapolis, Italiae Vrbs clarissima, vocabatur, quod a Sirene ibidem sepulta acceperat. De Sebeto amne, qui civibus Neapolitanis tanto est usui, vicatim per Vrbem defluens, ejusque pars altera prope muros labitur, et in sinum Neapolitanum sese exonerat, non est cur plura eloquar cum a domesticis Poetis miris laudibus celebretur. Caput vero adversae partis sit ne Alexandri M., an Alexandri Mamaeae incertum.




MVSEI SANCLEMENTIANI

NVMISMATA

SELECTA

POPVLORVM ET VRBIVM

SERIES II



ROMAE

TYPIS VINCENTII POGGIOLI

A. VVLG. AER. MDCCCVIII.

FACTA AB IIS QVI PRAESVNT EDENDI POTESTATE

SERIES NVMISMATVM
POPVLORVM ET VRBIVM



ABBAETI MYSI

Caput Jovis laureatum ad. d.
ΜΥΣ...
ΑΒΒΑΙΤΩΝ Fulmen alatum Ær. 3. Tab. VI n. 1.
Ex autonomis agmen ducat nummus iste Mysiae ad Propontidem, ubi similes Sestinio, et Cusinerio testibus inventi. Itaque nec de Vrbe Abasso Phrygiae cum Haymio, nec de Aba Phocidis cum aliis cogitandum. Sed in Geographia numismatica, quamvis silentibus vetustis Scriptoribus, huic tractui potius adscribendi Abbaeti Mysi, qui se Mysos appellasse dicendi sint, ut ab Vrbe ejusdem nominis, sed alterius regionis sese distinguerent.

ABDERA THRACIAE

ΑΒΔΗΡΙ... ΩΝ Supple ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ Caput juvenile intra quadratum.
Gryphus jacens erecto capite. Ær. min.

Abdera Thraciae ad mare Aegaeum olim potens, ac viris illustribus clara. Caput in anteriori parte Timesii Clazomenii imaginem referre, a quo condita fuerit Abdera, quique ab ea tanquam Heros colebatur, teste Herodoto, verisimile censet Pellerinius, consentiente Eckhelio. Plerique hactenus editi sunt argentei.

ANCONA PICENI

Caput muliebre laureatum. Pone lit. M.

ΑΓΚΩΝ Brachium flexo cubito dextra manu palmae ramum gestans. In area superne duplex astrum. Ær. 2. Tab. VI n. 2.

Alius similis, sed absque Vrbis nomine.

Ancona, inquit Plinius, *adposita promontorio Cumero, in ipso flectentis se orae* CVBITO. Hunc praeclarum nummum olim dono accepi a clariss. viro Stephano Bellini tunc Archipresbyt. Auximano, nunc Episcopo Lauretano, tam in Ecclesiast. muneribus, quam in horum quoque studiorum genere praestantissimo. Quamvis autem editus non omittendus tamen erat, quod epigraphe, et typo aversae partis exprimat Italiae nostrae decus, cujus portus inclytus summorum Pontificum providentia in pristinum, tutioremque statum restitutus magnam apud omnes Nationes adhuc retinet nominis celebritatem. Anterioris partis imagine Venerem designari facile consenseris, praeeunte Catullo, qui Deam hanc *Anconam*, *Gnidumque coluisse* testatur Carm. XXXVI. Denique quod ad ejus originem spectat, nemo nescit eam a Syracusanis Dionysii tyrannidem fugientibus conditam fuisse. Additur in hoc nostro pone caput Veneris lit. M, quam aliis interpretandam relinquo.

ADANA CILICIAE

Caput muliebre turritum.

MN ΑΔΑ
CI ΝΕΩΝ
HP
A Equus sine freno gradiens. Ær. 3.
Ex Mus. Mellingen.

Nummus iste singularis, ut alter Pembrokianus cum typo Victoriae, et sine Hadriani nomine, ante eundem Imperatorem editi censendi sunt. Idem confirmare posset Cl. Bellej opinionem, qui pluribus demonstrare nititur Adanam antea *Antiochiam ad Sarum* nominatam fuisse. Nam apud Pellerin. Pop. T. II. p. 161 Tab. LXXII n. 7 cum equo pariter libere gradiente, et capite muliebri velato haec nummi lectio habetur: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩΙ ΣΑΡΩΙ. Sed haec, aliaque hujus generis argumenta hactenus conjecturae fines non excedunt.

AZETINI ATTICAE

Caput Palladis galeatum fluentibus retro capillis.
ΑΞΕΤΙΝΩΝ Noctua capitello insistens. Ær. 3.
Aquila fulmini insistens. Infra... ΚΟV.
ΑΞΕΤΙΝ Spica. Ær. 3.

Adhuc in obscuro manet cui Regioni potius sint adscribendi hujusmodi nummi. Ipse tamen cum Froelichio Atticam praeferendam censeo, tum quod hujusmodi nummi ex iis partibus advecti fuerint, tum ob Palladis imaginem, et caetera omnia symbola, praeter fabricam, et metallum, quae primum ex his duobus nummis uni Atticae vindicant. Nec moror, si nullum apud veteres Scriptores modo vestigium reperiatur de pago, in quo Azetini siti es-

R

sent. Nam et aliae Vrbes, atque Oppida nunc ex solis nummis innotescunt, quod neminem latet. De Abbaetis jam supra vidimus. In secundo nomen magistratus innuitur, ut in iis Megarensium pariter Atticae.

ATHAMANES AETOLIAE

Caput muliebre velatum v. d.

ΑΘΑ

..ΩΝΑΜ sic retrograde. Pallas stolata, et galeata cum aegide ad pectus, d. clypeum elatum ostentat, s. hastam gerit. Ær. 3. Tab. VI n. 3.

Athamania memoratur Stephano, cujus gentile Athamanes, regio Illyriae, quam angustiae quaedam, seu fauces a Thessalia dividebant auctore Livio lib. XXXII. Athamanum etiam meminit Strabo lib. VII, et IX. Eos Geographi quidam Epiro adscribunt, nunc vero communiter a Numismaticis Aetoliae tribuuntur. Vnicus, quem Pellerinius omnium primus exhibuit, quemque Eckhelius describit, habet ΑΘΑΜΑΝ. In nostro additur Ω, ut integra lectio esse debeat ΑΘΑΜΑΝΩΝ. Nuperrime Cl. Sestinius Descript. N. V. pag. 169 in simili legendum sibi videtur addito Ε: ΑΘΑΜΑΝΕΩΝ, sed certa nummi nostri lectio, ut supra, quemadmodum in aversa parte non militis figura, sed Pallas galeata, et stolata clarissime expressa conspicitur.

ATHENAE ATTICAE

Caput Palladis galeatum v. d.

Α ΘΕ

ΕΥΜ ΙΛΟΣ

ΓΑΛ

ΑΙ

ΩΝ

PA In imo AΠ Noctua ex adverso diotae insistens. Ad. d. Figura muliebris stans, pone lampas: omnia intra lauream. Arg. 1.

Magistratus anecdotus.

Caput Minervae galeatum, ante faciem A incusa.

Ǝ Θ Noctua ex adverso stans intra duplicem olivae ramum Arg. min.

Caput Minervae peculiari galea ornatum ad. d.

AΘE Noctua stans v. d. pone oleae ramus: omnia in quadrato incuso. Ær. 1.

Similis arg. tam meo, quam apud Hunter Tab. VIII. fig. 8. Indubiae antiquitatis licet aereus. Singuli sunt figurae oblongae, et ovalis.

Caput Palladis galeatum v. d.

AΘH Theseus Minotaurum cornu arreptum, prostratumque domat. Ær. 2.

In eo Pellerinii Minotaurus stans exhibetur.

Caput Palladis galeatum ad d.

AΘHNAIΩN Apollo stolatus stans d. extensa nescio quid, s. lyram sustinet. Ær. 2.

Primus iste, quod noverim, qui Apollinis figuram exhibeat. Apud Hunter, Haymium, et Sestin. nonnisi quaedam ejus symbola, ut lyrae, et tripodis expressa invenio, tripodis quidem in aversa, lyrae aliis figuris adiecta.

Neminem latet Atheniensem Vrbem pulcherrimarum artium, scientiarumque domicilium extitisse, sed tanto splendori minus respondet ejus pecunia publica, quae plerumque rudioris est fabricae. In tanta copia, quae a Viris praestantissimis est edita horum numismatum, ac erudite illustrata, vix haec pauca adjicere licuit.

AEGIVM ACHAIAE

ΑΙΓΙΕΩΝ Caput Bacchi hedera coronatum.

ΘΕΟΞΙΟΣ ΚΛΗΤΑΙΟΣ Aquila stans Ær. 3.

Confirmat iste veram, rectamque lectionem in nomine magistratus, quod clarissime inscribitur ΚΛΗΤΑΙΟΣ, non ΚΡΗΤΑΙΟΣ, ut apud Spanhemium, et Pellerinium legitur, qui propterea emendandi, et opinio Spanhemii repudianda.

AEGINA INSVLA

Caput barbatum laureatum.

ΑΙΓΙΝΗ Apollo arcitenens spiculum ex arcu vibraturus. Ær. 3. Tab. VI. n. 4.

Ex autonomis hujus Vrbis unicum protulit Eckhel. cum capite arietis. Addendus iste, de quo habes etiam testem Pellerinium. Aegina insula in Attica inter Piraeum Atheniensium portum, et oras Pelopponesi, potens quondam Vrbs, quae de maris imperio cum Atheniensibus certaverat, sed Atticae deinceps subiecta.

AENVS THRACIAE

Caput Jovis laureatum.

ΑΙΝΙΩΝ Mercurius nudus stans, d. crumenam, s. strophium, et caduceum gestat. Ær. 3.

Alius, sed in eo ante pedes Mercurii ara accensa. Ær. 3.

Aenus Vrbs Thraciae vetusta in ora maris Aegaei ad Hebri ostia. Maximus in eo tractu Mercurii cultus. Vide Pellerin.

AESERNIA SAMNII

VOḶCANOM Caput Vulcani juvenile pileatum, et laureatum, v. s. retro forceps.

... ERNINO. Supple AISERNINO Genius nudus in citis bigis habenas regit supervolitante victoriola cum corolla Ær. 2. Tab. VI. n. 5.

Apud Hunter, et Pellerinium exhibetur caput Vulcani barbatum: in nostro clarissime est facie prorsus juvenili. In aversa quoque Genius nudus bigas regit. Notanda etiam in nomine Vulcani lit. tertia, cujus extrema lineola angulum acutum efficit cum longiori linea, secus ac describitur in editis. Recte Sestin. Descript. Num. Vet., ut etiam scribitur in nummis Albae, in aliquibus Caleni etc.

AETNAEI SICILIAE

Caput Solis radiatum v. d.

ΑΙΤΝΑΙΩΝ Miles cum hasta, et clypeo stans. In area tres globuli. Ær. 3.

AETOLI POPVLI

Caput Herculis imberbe exuviis leonis tectum v. d.

ΑΙΤΩΛΩΝ Heros juvenili facie cum petaso in capite, ac brevi veste praecinctus, grandiori clypeo basi imposito insidet v. d., quae aliis minoribus in imo ornata cernitur. Dextra hastam ex totidem aequalibus nodis confectam gerit: ad brachium sin. cui palliolum tripliciter involvitur, quemadmodum et in crure, d. scipionem retinet, in area hinc Α, inde ⩚, et ΣΕ. Arg. 1.

Nummus elegantissimus, quo Aetolum ejus gentis

Conditorem designatum putaverim. Sed alii aliam sententiam amplexi sunt.

Caput imberbe laureatum.

ΑΙΤΩΛΩΝ. Venabulum, et apri mandibula. In area botrus, et in medio lit. ΑΜ. Ær. 3.

Alii duo parum dissimiles, et excepto botro.

Mandibula expressa in aversa parte aprum Calydonium designat, ad quem interimendum cum universa juventus expeditionem suscepisset ex mythologicis, in magno Aetoli hoc factum sibi honore duxerunt, ac propterea domesticum hoc suum decus pecunia publica aeternitati commendatum voluerunt.

Nummi isti nihil differunt in imagine anterioris partis, et symbolis aversae ab eo Amphissae in Locris Ozolis, quem vide paulo infra; ita ut non iniuria quis suspicari posset lit. ΑΜ de Amphissa interpretandas esse, a qua editi essent hi nummi, quod ab eodem Aetolo Conditore originem, progeniemque suam ducerent; quemadmodum, et de Oetaeis Thessaliae pariter constat, qui propterea eandem aversam venabuli, et mandibulae signarunt in sua pecunia. Vide Mythologos de hoc argumento, tum Eckhel. sub hac Vrbe.

Caput Palladis galeatum.

ΑΙΤΩ, et in area ΖΗ. Vir nudus stans facie juvenili ad d. conversa, dex. extenta, sinistro brachio apri spolia involuta, ac dependentia sustinet. Ær. 3.

Alius similis, sed in area Ε, atque Heros apri spolia manu suspensa retinet. Ær. 3.

Apud Hunter pag. 15 n. 8. 9 in similibus describitur Hercules cum clava, et spoliis leonis: quod idem factum video a Sestinio D. N. Vet. pag. 169, numeris 10, 11, et 12. Ob symbolorum affinitatem valde dubito, ne error aliquis obrepserit. Nam ex capitis forma, et ore aperto, sive proprio apri rictu, qui se in praecedentibus cum man-

dibula manifestat, in his quoque de apri spoliis minime dubitandum videtur, ac propterea in aversa agnoscere oportet Heroem Calydonem Aetoli filium, et apri interfecto rem.

ACMONIA PHRYGIAE

Caput Jovis laureatum sine epigraphe.

..KMON.. Supple ΑΚΜΟΝΕΩΝ
ΤΙΜΟΘΕ.. ΤΙΜΟΘΕΟΥ, vel ΤΙΜΟΘΕΟϹ
ΜΕΝΕΝ.. ΜΕΝΕΝΙΟΥ
Æsculapius stans s. baculum, cui involutus serpens. Æг. 3. Tab. VI n. 6.

Vbi in hoc nostro clare mentio habetur Menenii Timothei patris, in Catalogo Theup., et apud Sestin. Descript. Num. V. p. 449. legitur ΤΙΜΟΘΕ... ΜΗΤΡΟ, de quorum propterea lectione jure dubitandum. Acmonia Vrbs Phrygiae magnae.

AGRIGENTVM SICILIAE

ΑΚΡΑΓΑΣ minutissimis lit. Caput juvenile diadematum duobus a fronte prominentibus cornibus, infra collum quatuor puncta: sin. respicit.

Aquila Capitello ionici ordinis insistit s. respiciens. In area ad latus d. pagurus, et paulo supra conchylium: pone aquilam sex globuli, infra capitellum quatuor. Æг. 1.

Agrigentini, inquit Aelianus lib. XIII *fluvium*, *qui ejusdem est cum Vrbe nominis*, *speciosi pueri forma fingunt*. In meo anecdoto Crotonis Vrbis circa caput pueri fluentibus capillis adiecta legitur epigraphe ΑΙΣΑΡΟΣ, quo nil expressius significari poterat caput illud esse symbolum Aesari fluvii, quo Vrbs illa alluebatur. Vide illum suo lo-

co. Sed hoc exemplum est Bruttiorum. In Sicilia vero praeter hoc Agrigentinorum, alia plura occurrunt, ut Gelae, Camarinae, Naxiorum, Catanensium, Argyrensium etc. Similem huic nostro affert Eckhel. D. N. V. T. I. p. 193, et egregie illustrat, sed verisimile tantum censet, quod speciosa pueri facies in anteriori parte fluvium Acragantem designet, forte quod abessent cornua. Apud Turremut. Tab. VIII n. 7, et 8. bini afferuntur nummi cum eadem facie, atque in primo minime desiderantur cornua fronti adiecta. Itaque de utroque certa ratione constare arbitror, quod eundem fluvium Acragantem exprimant, sive in secundo vetustatis injuria cornua deleta fuerint, sive non aliter ex typariis formis iste emerserit. Quod enim de uno idem de altero judicium ferendum est, quem Cl. Eckhel. describit loco cit. Ipse vero praestantiss. Vir, rejecta de Minotauris opinione, mea quidem sententia, rectissime statuit in Campaniae prolegomenis: fluvios designari cum eorum nomina adiiciuntur juxta effigiem, sive viri, sive feminae, quae plerumque, ut accidit, etiam cum nomine Vrbis minime conveniunt.

ALABANDA CARIAE

ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ Caput Senatus.

ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ Aquila insistens duobus veluti sceptris decussatis. Ær. 1.

ALBA LATII

Caput Mercurii cum petaso alato.

ALBA Gryphus alatus currens. Arg. 3. Tab. VI. n. 7.

Assentiendum arbitror Cl. Sestinio, qui Descript. N. V. p. 8 censet hunc nummum potius ad Albam Longam, sive Albanum Romae proximum esse referendum, quam ad Al-

bam in Marsis prope Fucinum lacum. Vide ejus argumenta. Notanda litera secunda ejus formae ⊦, ut supra, cujus simile exemplum habes in nomine Vulcani Vrbis Aeserniae, de quo paulo ante dictum est, aliisque in nummis earum regionum.

ALAESA SICILIAE

Caput juvenile laureatum taeniis dependentibus.

ΑΛΑΙΣΑΣ ΑΡΧ Figura militaris stans cum hasta, et parazonio. Ær. 3.

In hujus nummi imagine Heroem Archonida hujus Vrbis Conditorem, potius quam Apollinis caput, cum Cl. Turremutio agnoscendum arbitror. In comparatione enim hujus cum caeteris, qui Apollinis faciem continent, multum discriminis intercedit, ac forte in isto, ac similibus in aversa parte ipse Heros stans cum galea, et insignibus militaribus exhibetur, eo quod Archonides, referente Diodoro, ex Praefectura Erbitanorum Alaesam condiderit, eique nomen suum imposuerit, ut a caeteris ejusdem nominis Siciliae Vrbibus distingueretur.

ALEA ARCADIAE

Caput Jovis laureatum.

ΦΑΛΕΙΩΝ intra lauream coronam. Ær. 3.

Hactenus nummus iste, caeterique huic similes unanimi Numismaticorum consensu Faliscis Etruriae in Italia adscribebantur. Primus, qui repugnaverit fuit Cl. Sestin. Epist. Numism. Tom. II. p. 10. Eckhelius, qui D. N. T. I. p. 91 veterem Eruditorum opinionem fusius confirmare studuerat, Tom. II ejusdem Operis pag. 264 se ipsum retractans Richardi Payne Angli sententiae adhaeret, qui nummos cum epigraphe ΦΑ, vel ΦΑΛΕΙΩΝ nequaquam Faleriae,

S

sive Faliscis Etruriae, sed Eleis Peloponnesi tribuendos affirmat. Ante Richardum Payne hoc ipsum censuerat Musei Pii Clementini illustris Commentator Quirinus Viscecomes. Ego equidem, ut ingenue fatear, in consilium adhuc eundum arbitror, utrum revera hujusmodi nummi ab Vrbe Faliscorum Etruriae sint amandandi, tum ob ea, quae praeclare attulerat Cl. Eckhelius T. I. cum etiam ex eo, quod videam in pluribus hisce nummis disjunctas exhiberi literas FA intermedio fulmine, vel aquila (vide Hunter Tab. XXVII), cum digamma, quod est mera aspiratio, in quotquot vidi indubiis monumentis, nummisque semper vocali adhaereat, quae sequitur. Sed admissa modo hypothesi, in qua versamur, verisimilior videtur habenda ejusdem Sestinii conjectura, dum censet hos nummos Aleae Arcadiae Vibi potius deputandos. Nam addit digamma Æolicum una cum Dorismo conjunctum admitti non posse, quemadmodum fieri oporteret, si de Eleis Peloponnesi interpretandus foret nummus iste. Eo enim pacto nomen ipsum Vrbis confunditur, ac depravatur, ut verus propriusque illius sensus percipi nequeat. Exempla etiam obstant; nam cum digamma praemittitur in aliis hujus generis nummis vocalis, quae sequitur fixa, atque immobilis retinetur. Ita in vocibus e. g. FOIKIAN pro OIKIAN in Tab. Borgiana ꟻHPA pro HPA, ꟻHPAKAEΩN pro HPAKAEΩN etc. Admissa igitur hac regula nemo non videt nummum istum ab Elide, vel ab Eleis, Peloponnesi procul amandandum fore, Aleaeque Arcadiae potius assignandum.

Tandem omittendum minime censeo non paucos ex hujusmodi nummis me vidisse in Museis nostrae Italiae, atque hunc meum in agro Romano inventum fuisse.

ALINDA CARIAE

Caput Herculis imberbe exuviis leonis tectum.

ΠΝΙΥΥ

.. ΥΛΑΔ Ita scriptum a capite clavae intermediae ad ejus extremam partem. Ær. 3.

Recto ordine inscriptio erit hujusmodi:

ΑΛΙΝΔ

ΔΑΛΥ.. Dempta autem epigraphe, iste similis plane alteri, quem Pellerinius delineatum exhibet Pop. T. I. Tab. XI. n. 1, in quo cum eadem plane juvenili Herculis facie, et clava, in aversa parte sic legitur ΘΕΙΣ

ΑΛΥΟΝ

Noster profecto de Alinda Cariae Vrbe interpretandus. Alter autem jam editus ab ipso Pellerin. eandem prorsus exhibet Herculis faciem cum integra epigraphe ΑΛΙΝΔΕΩΝ in aversa parte, in qua clava, cui impositae leonis exuviae. Adde meum tertium, in quo facies Herculis nihil differt ab ea mei praecedentis, et utriusque Pelleriniani nummi, et habet clavae symbolum cum exuviis leonis superpositis, qui tamen omni caret epigraphe, quae minime obstare dicenda est, quin iste quoque nummus uni Alindae adscribatur. Non temere itaque mihi suspicari fas est, et primum Pellerinianum nummum ad Alindam referendum, quamvis careat nomine Vrbis, eo vel maxime, quod in nomine etiam magistratus convenire videatur. Nam si addas initio literam Δ, quae fortasse in nummo deleta, habebis ex nostro ΔΑΛΥΟΝ. Certe Pellerinianus nummus ex instituta comparatione Alindae concedendus videtur, quin cogitare fas sit de *Alvona* Liburniae, vel de *Alyzia* Acarnaniae, ut praestantissimi Viri Pellerin., et Eckhelius suspicabantur.

AMANTIA ILLYRICI

Caput Jovis laureatum, pone OI
AMAN
ΤΩΝ
ΞΕ Intermedio fulmine. Omnia intra lauream. Ær.3.

AMASTRIS PAPHLAGONIAE

ΑΜΑϹΤΡΙϹ Caput muliebre turritum capillis in unum collectis ad occiput, sine velo.
ϹЄΒΑϹΤΗ Victoria stans, d. corollam, s. palmae ramum. Ær. 2. Tab. VI n. 8.

Pellerinius, quem sequitur Eckhel. pluribus commendat perhonorificum Augustae titulum tanquam huic Vrbi datum. Sed suspicari merito potest eam vocem potius explicandam esse de Augusti victoria, cujus figuram ibidem expressam cernimus. Si titulus iste additus fuisset in adversa parte res extra teli jactum posita foret; verum, cum de aversa agatur, valde dubitandum, praesertim cum alia nummorum exempla habeamus, in quibus eodem pacto Augustorum victoriae partim imagine, partim epigraphe celebrantur. Ita profecto in tribus Neronis nummis, in quibus ipse habitu Citharoedi exhibetur cum epigraphe ΝЄΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΚΤΙϹΤΗ, et in aversa parte legitur ΝЄΡΩΝΟϹ, additurque typus victoriae stantis cum corona, et palma, ut in hoc, de quo agimus. Vide illos suo loco in serie Imp., ubi etiam paulo ante sub eodem Nerone iuvenies Vrbi Romae nomen ΣΕΒΑΣΤΗΣ tribui in nummo Thessalonicensium; sed idem nomen cum altero Vrbis coniungi hoc pacto: ΡΩΜΗ ΣΕΒΑΣΤΗ etc. Nec quidquam contrariae sententiae prodesse potest, quod singulari nominandi casu scribatur ΑΜΑϹΤΡΙϹ. Nam similiter scribitur, etiam in aliis

suis nummis cum typis, et epigraphe aversae partis plane diversis, quod ostendit id minime factum ob peculiarem causam, quod Augustae titulo decorata fuisset. Si autem id honoris consecuta fuisset, non unum hoc haberemus exemplum, sed plura in tanta ipsius nummorum copia.

OMHPOC Caput Homeri diadematum.

AMACTPIANΩN Mulier turrita sedens, d. sceptrum, s. hastam. Ær. 3. Tab VI n. 9.

Notissimus est versus apud A. Gell. de Vrbibus, quae sibi Homerum vindicabant.

ΣΜΥΡΝΑ, ΡΟΔΟΣ, ΚΟΛΟΦΩΝ, ΣΑΛΑΜΙΣ, ΧΙΟΣ, ΑΡΓΟΣ, ΑΘΗΝΑΙ. Sed prae caeteris Amastris, quae in Paphlagonia sita erat, licet eo versu minime contineatur, ejus imaginem monetae suae exprimendam curavit, iisque formis, et lineamentis eandem exhibet, ut Homerum etiam sine epigraphe agnoscas, maximeque consentiat caeteris insignis illius Poetae statuis, signisque. Vide praesertim nummum, qui sequitur. Typus aversae partis nondum editus.

OMHPOC Caput Homeri barbatum, et vitta redimitum v. d.

AMACTPIANΩN ΜΕΛΗΣ Fluvius decumbens v. s., d. lyram sustinet, s. urceum retinet. Ær. 3.

Nummus integerrimus. Sed quid quaeso Meles fluvius cum Amastri Paphlagoniae Vrbe, quae ad ostia Parthenii sita erat? Melete alluebatur Smyrna, apud quem Maeonium Vatem ortum habuisse adhuc communis fert opinio, unde etiam Melesigenem primum a matre vocatum narrant veteres Scriptores. Cythara etiam, quam Meles jacens d. sustinet, non obscure designare videtur, quod Smyrnaei asserebant: in antro ad fontes ejus fluvii sua carmina fecisse Homerum: sed haec quoque nihil ad Amastrianos attinent. Id tamen peculiari aliqua de causa ab ipsis factum fuisse haud equidem in dubium revocari potest. Alii aliam

conjecturam proponunt, quibus tamen aegre acquiescas, praesertim cum Amastris nec eo versu contineatur, quem in superiori attulimus; prae caeteris tamen iu celebrando Homero, ejusque imagine monetae suae adiicienda excelluit; ita ut Smyrnaeos ipsos superaverit, qui tantum in figura sedentem illum exhibuerunt. Ex autonomis praeter hosce duos vide tertium apud Hunter cum capite muliebri velato, et turrito in aversa: eadem Homeri imago cernitur etiam in Imperialibus. Caeterum de tanti viri patria illud non iniuria statuendum videtur: antiquitus etiam nihil certi constitisse, quod clare manifestat tot Vrbium contentio, qua unaquaeque eundem sibi vindicabat, de qua etiam Cicero mentionem facit in Orat. pro Arch. Ut enim a doctis viris animadversum: fecit ejus nominis claritas, ut quem vivum, rebusque omnibus egentem nemo agnoverat, post mortem Graecia pene omnis suum esse contenderet. Hinc in earum numero Amastris quoque recensenda videtur, licet praestantissimum Poetam apud Meletem Smyrnae fluvium sua carmina cecinisse admitteret, ut in aversa hujus nummi parte expressum videmus.

AMBRACIA EPIRI

Caput Apollinis laureatum.

A M

B P Juppiter nudus, dex. elata fulmen intorquens. Pone literam B: Γ. Ær. 3.

Alius, sed Apollo capite radiato, et pone B. cornucopiae incusum. Ær. 3.

Caput muliebre velatum v. d.

A M

B P Meta in medio laureae, quam Hunther, et Pellerin. pro Obelisco accipiunt. Ær. 3.

Ambracia ad sinum ejusdem nominis in Epiro, quondam Pyrrhi regia imprimis nobilis.

AMESTRATVS SICILIAE

Caput Dianae v. d. cum pharetra ad humerum sin., et luna bicorni in fronte.

ΑΜΗΣΤΡΑΤΙΝΩΝ Apollo citharoedus barbatus stans, et cytharam pulsans. Ær. 2. Tab. VI n. 10.

Unus iste ex paucissimis, quos primus omnium Princeps de Turre Mutia huic Vrbi merito vindicavit. Erat autem Amestratus Oppidum non ignobile Siciliae, ad Alaesum fluvium, et satis munitum, quod Romani tertio obsessum tandem ceperunt, et solo aequarunt. Vide Excerpt. Diod. Sicul. lib. XXIII. Rectam Vrbis lectionem confirmat Cicero in Verr. quam mire luxatam apud Geographos invenies. Stephan. de Vrb. tres ex una efficit.

AMISVS PONTI

Caput Bacchi corona ex hedera contexta ornatum.

ΑΜΙΣΟΥ Cista Bacchi, supra quam thyrsus oblique positus, ac taeniis dependentibus. In area monogramma. Ær. 2.

Amisus Vrbs Ponti maritima Halyn inter, et Irin, magna hujusmodi nummorum copia abundat, quos ab aliis jam editos consulto praetermitto.

AMPHAXVS MACEDONIAE

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum.

ΑΜΦΑ
ΞΙΩΝ

Monogrammata, et clava in medio coronae querneae una cum ipsa epigraphe. Ær. 2.

Vnicus typus hactenus notus, Stephanus de Vrbibus distinguit voces ΑΜΦ' ΑΞΙΟΝ, quod significat *circa Axium*, amnem, nempe Paeoniae. Vnde qui illam regionem incolebat ΑΜΦΑΞΙΤΗΣ vocabatur. Vtrum in eo ambitu extiterit Vrbs hujus nominis, quod in nummo exprimi videtur, a vetustis Scriptoribus minime innuitur. Quare non immerito de illius etiam regionis incolis accipi potest. In Macedonia sita erat.

ΑΜΦΙΠΟLIS MACEDONIAE

Caput Jovis barbatum, et vitta redimitum.

ΛΕ ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ, et per aream hinc inde monogrammata, clava intermedia: omnia intra coronam quernam. Ær. 2.

Haec Vrbs Macedoniae illustris ad fluminis Strimonis ostia sita erat. Pecunia dives tam in autonomis, quam imperialibus. Argenteum tetradrachm. inspexi cum Apollinis imagine pulcherrima apud Cl. Cusinerium, in cujus aversa parte legitur ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΕΩΝ nitidissime.

Caput Dianae.

ΑΜΦ ΙΠ

ΟΛΙΤΩ N Duo Hirci coniscantes. Duplex Ær. 2.

Amphipoli Macedoniae merito hosce nummos, aliosque cum equo gradiente, spica, etc. quos omitto, vindicat Eckhelius contra Spanhemii, Vaillantii, caeterorumque opinionem. Hanc vero Hircorum pugnam ad Dei Panos cultum, qui maxime in Macedonia obtinebat, referendam esse per se patet.

AMPHISSA IN LOCRIS OZOLIS

Caput Apollinis laureatum.

ΑΜΦΙΣ

ΣΕΩΝ Venabulum, et mandibula apri. In area botrus, astrum, et ΑΡ in nexu. Ær. 3. Tab. VI. n. 11.

Pauci hactenus innotescunt nummi hujus Vrbis, quae erat apud Locros Ozolarum princeps. De typo aversae partis consule quae diximus in Aetolorum nummo, ubi similem typum cum hoc ipso, itemque cum Oetaeorum altero commemoravimus.

ANDRVS CYCLADVM INSVLA

Caput Bacchi corona ex hedera contexta ornatum.

ΑΝ

ΔΡΙ Thyrsus cum taeniis. In area botrus. Ær. 3.

Quod Andros Cycladum Insula, in qua etiam Vrbs ejusdem nominis, esset sacra Baccho testantur veteres Scriptores, idque confirmat hic nummus. Fabulam narrant Plinius, et Pausanias, quod ab ejus Templo, quod erat in Insula, cum quotannis ipsius festa agerentur, vinum copiose scaturiret. Iste lectionem confirmat de addito I in nomine Vrbis, quod in nummo Pellerinii desideratur, atque occasionem erroris praebuerat, legendi nimirum ΑΝΔΡΩΝ, loco ΑΝΔΡΙΩΝ, et nummum tribuendi huic Vrbi, qui ad aliam spectat. Qua de re vide Eckhel. N. Vet.

ANTIOCHIA SYRIAE METR.

Caeteris omnibus autonomis omissis, binos tantum hic afferre lubet, qui ad Quintilium Varum Syriae Augusti

Legatum pertinent, quique ob notas chronologicas, quas continent, singulari in pretio habendi.

Caput Jovis laureatum.

ANTIOXEΩN EΠI OVAPOV Mulier turrita, et velata scopulo insidens, emergente ad ejus pedes flumine Oronte, d. palmae ramum gestat. In area EK Ann. XXV. Duplex Ær. 3. Tab. VI n. 12.

Alii duo, sed in area ZK Ann. XXVII Ær. 3. Tab. VI. num. 13.

Magno adiumento sunt hujusmodi nummi ad definiendum annum Herodis M. emortualem, si eorum notae conferantur cum iis, quae Historiae monumentis commendarunt Josephus Hebraeus, et Tacitus. Ex Josepho, ut breviter rem complectar, constat Varum Sentio Saturnino in Syriae Praefectura successorem datum circa postremum vivendi, ac regnandi biennium Herodis M. Ab eodem insuper narrantur, quae a Varo in Judaea gesta fuerant ad turbas compescendas, quae in illa exortae fuerant, Herode mox vita functo. Tacitus vero addit: Simonem quendam post Regis Herodis obitum, nihil expectato Caesare, regium nomen invasisse, sed a Quintilio Varo obtinente Syriam punitum. Postremus annus ZK, quem notant hujusmodi nummi, coeperat autumno an. V. C. Varr. DCCXLIX, exierat an. DCCL; primus vero EK coeperat autumno An. V. C. Varr. DCCXLVII. Ignoramus quidem utrum Varus Syriam retinuerit, necne, ultra annum DCCL. Verum cum magno numero extent nummi cum annis XXV, XXVI, et XXVII, nulli vero cum notis, quae majores sint ZK, non iniuria inferri posse concesseris non ultra suprascriptum annum eam administrationem a Varo retentam. Sed hoc etiam omisso, cum ex Josepho, ut etiam designant notae EK, certo constet de initio ejus Syriacae Praefecturae circa A. V. C. DCCXLVII, atque insuper pateat ex ipsius Josephi historia Antipatrum sub exitum administrationis Sa-

turnini decessoris Vari se Romam contulisse, septimumque jam mensem elapsum fuisse, quin ille quicquam compertum haberet de quaestionibus, quae domi tum habebantur ab Herode ad ejus detegendas insidias, quae paraverat in ipsius patris, Regisque perniciem; Antipatro deinde non multo post Hierosolymam reverso, statim Herodem conventum indixisse, judiciumque ab eo institutum coram Varo Syriae Praeside de filii criminibus, ejusque detectis insidiis, de quibus etiam convictus Antipater in carcerem detrusus, et ibidem post mensem aliquem jubente patre necatus fuerit, idque evenisse certum sit ante quintum diem, quo Herodes ipse finem vivendi fecerit. Ex his omnibus profecto illud sequi fatendum erit, ea, quae a Varo Praeside in Judaea gesta fuerant ad compescendas turbas, quae statim post Herodis obitum ibidem ortae fuerant, et ad Simonem, qui non expectato Caesare, regium nomen invaserat, supplicio afficiendum, pertinere ad annum V. C. Varr. DCCL; ideoque annum Herodis emortualem non ultra hunc terminum proferri posse. Vide plura de hoc argumento in lib. n. de Vulg. Ærae Emendat. Res est explorata in his nummis Æram Actiacam signatam fuisse. Modo vero ex Museo n. accedunt jam bini alii nummi anecdoti, Judaicus unus Augusti, alter Vrbis Paneados in Elagabalo ad hoc Chronologiae caput magis, magisque illustrandum, confirmandumque, de quibus vide suis locis, praeter eximium illum in Ser. Reg. Herodis Antipae.

ANTIPOLIS GALLIAE NARBONENSIS

ΔΗΜ... Caput femineum.

.. ΤΙΠ ΑΕΠΙ Victoria trophaeum coronans. Supple ΑΝΤΙΠ. Ær. min.

Quod Antipolis Massiliensium esset Colonia, ejus nummi graecis lit. inscripti. Vox ΑΕΠΙ M. Lepidum III VIR.

designat, ut ex nummis ejusdem provinciae Cabellionis clare infertur, in quibus idem nomen Lepidi, insuper Imp. Caesaris, et M. Ant. Triumvirûm occurrit.

APAMEA PHRYGIAE

Caput Jovis laureatum v. d.
ΑΠΑΜ
ΗΡΑΚΛΕ Juno pronuba Ær. 2.
ΕΙΑ

Patet hujus nummi integerr. epigraphen, quae tribus lineis continetur non aliter legendam, quam ΑΠΑΜΕΙΑ ΗΡΑΚΛΕ. Frequentius scriptum reperitur: ΑΠΑΜΕΩΝ, sed apud Hunter, et Eckhel. in altero cum Hecate tergemina in aversa, pariter legitur ΑΠΑΜЄΙΑ. Vox ΗΡΑΚΛΕ magistratum Vrbis indicat, et falsa evincitur interpretatio Harduini de Apamea, et Heraclea Seleucidis Vrbibus; in simili enim apud Pellerin. habes nomen magistratus diversum, et clarius etiam expressum. Cl. Sestinius Descript. N. V. ita legit ΑΠΑΜΕ ΗΡΑΚΛΕΙ, sed videat quaeso, ne sit idem cum nostro tribus lineis exarato.

Caput Palladis galeatum.
ΑΠΑΜΕΩ..
Φ... ΠΠΟΥ Forte legendum ΦΑΙΝΙΠΠΟΥ ΔΡΑΚΟΝ...
... ΟΝΟΣ ut in Hunteriano. Ær. 2.
Aquila alis expansis flexibus Meandri insistit; hinc inde Dioscurorum pilei cum astris.

APAMEA SYRIAE

Caput Jovis laureatum.
ΑΠΑΜΕΩΝ
ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ
ΣΑΣ

ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ

ΣΕ Ær. 2.

Alii duo cum typo Palladis, et Victoriae, ΕΟΣ, ΓΠΣ. Ær. 3.

Plures Apameae Syriae nummi similes editi, quos simul collectos vide apud Eckhel. Ad Orontem, et Marsyam fluvios sita erat. Epocha est Seleucidarum.

EPIRVS REGIO

Caput femineum turritum, velatum, et laurea ornatum.
ΑΠΕΙ
ΡΩΤΑΝ Tripus intra lauream. Ær. 3.

Caput in hoc nostro est turritum, secus ac similes describuntur apud Hunter, et Sestin. Regionis universae nomine editi sunt.

APOLLONIA ILLIRICI

ΑΥΣΩΝ Caput Apollinis laureatum.
Α Π Ο Λ
ΔΙΟΝΥΣΟ
ΔΩΡΟΣ Tres Virgines chorum agunt. Prima, et postrema taedas accensas manu gestant, ad pedes vero secundae, et tertiae cernitur monticulus ignivomus. Arg. 3. Tab. VI. n. 14.

Merito Illyrico restituitur hic nummus, et praeclare illustratur ab Eckhelio Num. Vet. pag. 92, ex Aeliano, Strabone, et Plinio. *Apolloniatae*, inquit Aelianus, *Vrbem habitant vicinam Epidamno in Jonico sinu, atque in proximis Vrbi locis fodina est bituminis etc. Non procul immortalis ille ignis ostenditur, qui vero ardet collis est exiguus, neque in magnum spatium extenditur, ... ignis vero diu, noctuque ardet*. Strabo vero testatur eum locum

ab Indigenis vocari NYMPHAEVM, quod confirmat Plinius ex Theopompo. Vide etiam Sestin. Epist. T. I. Ep. III. Hinc habes cur tres Virgines in nummo chorum ducant, et ad earum pedes collis assurgat cum ardentibus flammis. Additur in hoc nostro taeda accensa, quam gestant prima, et postrema ex Nymphis colludentibus; utraque pariter magistratus nomina nondum edita sunt. Similis Monticulus ignivomus cernitur in Italia trigesimo circiter lapide euntibus ab Vrbe Bononia Florentiam versus, non longe a vico, qui *Petra mala* nuncupatur.

ΑΠΟΛ ΕΠΙ ΚΑΔΟΥ Area quadrata duplici ordine linearum clausa, in qua Horti Alcinoi.

ΑΓΙΑΣ Bos vitulum lactans Arg. 3.

Confirmat hic nummus, quae probat Eckhelius Doctr. N. T. II p. 152 contra Froelichium, aliosque plures, qui in ea versabantur opinione, ut putarent, unum tantum magistratum in his nummis designari, eumque esse, qui recto casu scribitur, alterum vero nomen gignendi casu de ejus patre interpretandum. Eckhel. e contrario pluribus argumentis demonstrat binos in hisce nummis magistratus agnoscendos esse, atque in eo gignendi casu posito praepositionem ΕΠΙ subintelligendam esse, ut in Smyrnaeorum nummis, in quibus legitur ΕΠΙ ΜΥΡΤΟΥ ΡΗΓΕΙΝΟΣ, et similia. Habes itaque in hoc nostro praeposit. ЄΠΙ, quae omnem plane controversiam dirimit. Erat Apollonia haec Vrbs Illyrici maritima, eaque illustris.

ΑΠΟΛ ΜΟΣΚΟΥ Horti Alcinoi in quadrato bifariam secto.

ΔΟΝΑΞ Bos vitulum lactans. Arg. 3.

ΜΟΣΧΟΥ ΥΠΟΛΕ Caput Apollinis laureatum v. s. fluentibus retro capillis.

ΑΠΟΛΛΩ

ΝΙΑΤΑΝ Lyra intermedia. Ær. 3.

Alius, sed infra collum signum veluti Δ. Ær. 3.

Vterque integer, nulloque a vetustate accepto detrimento.

In simili Pelleriniano, et apud Eckhel. legitur ΕVΠΟΛΕ, praecedente initio lit. E, quae in meis duobus desideratur. Laudatus Eckhel utramque vocem nectendam censet, et unicum nomen magistratus agnoscendum esse ΕVΠΟΛΕΜΟΣΧΟV, item quod in caeteris aeneis hactenus editis nunquam duo nomina adiecta inveniantur, secus ac in argenteis. Sed nummus immediate ante descriptus, qui Cl. viro ignotus extitit, cum nomine ΜΟΣΧΟV, qui unum magistratum indicat ab eo diversum, qui in posteriori continetur, satis idoneo mihi argumento esse videtur, ut in isto quoque duplicem vocem, nomenque magistratus agnoscere debeamus. Nec obstat sane, ut quemadmodum in argenteis modo unus tantum, modo duplex adiicitur magistratus; ita similiter et in aeneis factum fuerit. Cujus rei hoc primum esse poterit exemplum.

APOLLONIDEA LYDIAE

ΙΕΡΑ CVΝΚΛΗΤΟC Caput Senatus.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΕΩΝ Caput femineum. Ær. min.

Similis plane editus a Pellerin. Pop. II p. 98, qui in aversa parte Domitiae imaginem, et in anteriori Domitianum sibi videre visus est. Alterum describit Sestin. Descrip. N. p. 412, in quo caput Juliae Titi filiae expressam putat. Mihi equidem res valde incerta videtur, ac Senatus potius faciem juvenilem exhiberi nihil diversam ab aliis pluribus, in quibus revera Senatus imago proponitur. Haec Vrbs Lydiae, Apollonidea, nummis suffragantibus recte, ut supra, nominatur.

APTERA CRETAE

Caput femineum cum inauribus, comptisque capillis in eandem ferme modum, quo illud Faustinae sen. v. d.

Α Π
Τ Α
Ρ ΑΙ
ΩΝ Miles gradiens cum clypeo, et hasta versus sin. Duplex Ær. 3.

Ex Dorismo apud Cretam accepto scribitur ΑΠΤΑΡΑ in recentioribus nummis; antiquitus enim scribebatur per Ε, ΑΠΤΕΡΑ, sic vocata ex ἀπὸ τῶν πτερῶν, quod Sirenes cantu a Musis superatae alas abjecissent. Ita Svidas, et Stephan de Vrbib. Alii aliter fabulam explicant. In simili apud Hunter, qui delineatus exhibetur Tab. VI. n. 15, quod detritus, haud recte ad autographi fidem capitis ornatus depingitur. Vtrum hactenus existant nummi argentei cum epigraphe ΑΠΤΕΡΑΙΩΝ videndus Cl. Sestin. Descript. N. V. p. 220, ubi ex integerrimo Mus. Ainsl. lectionem ab Eckhelio, et Hunter propositam impugnat, docetque praeterea nomen magistratus legendum non esse ΠΤΟΛΟΣΤΟ, sed ΠΤΟΛΙΟΣΚΟV. Itaque ex Sestinii testimonio, nullum hactenus habemus exemplum de nomine Vrbis, quod inscriptum sit ΑΠΤΕΡΑΙΩΝ. Nam reliqui arg. apud Pellerin. praesertim, tum aerei habent ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ, ut in meis cum typo lampadis, et arcus, et apud laud. Hunter, caeterosque cum diversis aversae partis symbolis. Apud Stephanum tamen, aliosque vet. Geographos scribitur sine Dorismo.

AQVINVM VOLSCORVM

Caput Palladis galeatum.

ΑQVINO Gallus erectus stans, retro astrum. Ær. 3.

Aquinum in Volscis Latii populis. Quod gallus sit prae caeteris pugnacissimus, recte cum Pallade sociatur. Idem typus in nummis Suessae, Teani, aliarumque Campaniae Vrbium occurrit. In Minervae simulacris gallus ejus cassidi insidens non semel quidem conspicitur. Atque ob eam rationem, quam innuimus, sic Minervam repraesentari refert Pausanias. Prima litera in editis passim exhibetur per A communi scribendi ratione, sed non ita se res habet. Suum Latii quoque peculiarem scribendi modum habebant, ut pariter in nummo Vrbis Albae notavimus.

ARADVS INSVLA PHOENICIAE

Caput femineum turritum, et velatum sine epigraphe.

ΑΡΑΔΙΩΝ ϛϙΡ An. CXCVI monogramma, et ΑΣ. Victoria stans d. acrostolium, s. palmam gerit, singula in corona laurea continentur. Arg. 1.

Ex Mus. Equit. Rouschut ex Procer. Northwik Londinensis.

Apud Pellerinium, et Hunter, qui plures ex hujusmodi tetradrachmis arg. delineatos exhibent, postremus annus in iis est ΖΠΡ, CXXCVII; in catalogo tamen Theupolit. similis alter arg. describitur cum notis ΖϙΡ CXCVII, quae sunt postremae, quae hactenus prodierint in argenteis hujus Vrbis. Aradiorum epocha, ut in lib. de Epoch. demonstraturi sumus, ab adepta libertate sub Seleucid. regno, nec anterior esse potest autumno An. V. C. Varr. CDXCV, nec posterior verno tempore insequentis anni CDXCVI. Ex quo sequitur an. ϛϙΡ in primo ex his duobus tetradrachmis coepisse autumno An. V. C. Varr. DCXC, exiturum revertente autumno An. DCXCI ex primo praemisso cardine; ex secundo vero coepisse verno tempore an. V. C. Varr. DCXCI finem habuisse revertente vere insequentis an. DCXCII. Annum vero ΖϙΡ in secundo finem

habuisse, vel autumno an. V. C. Varr. DCXCII, vel ineunte vere an. V. C. DCXCIII. In utraque porro hypothesi consequens fit hujusmodi nummos editos ab Aradiis intelligi posse ante quam Phoenicia a Pompejo in provinciae formam redigeretur. Nam ut in lib. II. de Vulg. Ærae Emend. probavimus pag. 5 nobilissimum triumphum egit de rebus in Oriente a se gestis, Mithridate, et Tigrane devictis, mense Octobri An. V. C. Varr. DCXCIII. Publicas vero literas ad Senatum de suis rebus gestis miserat An. praecedenti DCXCII. Cicero enim ad Pompejum scribens leniter conqueritur, quod in iis nullam mentionem fecisset de conjuratione Catilinae a se felicissime extincta, ac de Republica servata. Id autem factum est sub exitum anni sui consulatus, qui certus est index anni V. C. Varr. DCXCI. Quae ergo pertinent ad res in Oriente a Pompejo ordinatas, confecto Mithridatico bello, ante quam in Vrbem reverteretur, majori ex parte annum complectantur oportet V. C. DCXCII, et aliquam etiam insequentis anni. Ex quo manifestum fit conciliari optime posse notas in suprascriptis argenteis nummis cum expirante Aradiorum autonomia, et ante quam Phoenicia in provinciae formam redacta fuisset. Hinc minime mirum si nulli amplius hujus generis nummi ab Aradiis editi fuerint. Atque haec adnotanda duxi, quod ad eorum Epocham illustrandam pertinere viderentur, quoniam Cl. Eckhel. D. N. V. T. III. p. 395 dubitat de not. ZqP.

Caput turritum cum monili ad collum, et palmae ramo ad hum. sin.

Neptunus seminudus barbatus sedet supra navim cum tridente in s., et duplici ramo aquatili in d. In summitate prorae figura nuda stans ante Neptunum. Superne in area lit. q. In imo lit. Phoeniciae et PIH et infra A. Ær. 3.

Ad Aradum procul dubio spectare dicendus est. Differt ab editis a Pellerinio, et Hunter.

ARGOS ARGOLIDIS

Anterior Lupi pars ad pectus usque.

K Y

Ꝛ in medio coronae Ær. min.

T I

Caput femineum laureatum.

✗ Lupus gradiens. Ær. min.

Plures ex hujusmodi nummis editi praesertim a Pellerinio, et Sestinio Descript. Num. Vet. pag. 212, sed plerique argentei sunt, in quibus vario modo per initiales literas nomen Vrbis scribitur. Caeterum ex augurio, quod ceperant Argivi ex pugna inter lupum, et taurum, unde etiam referente Pausania regnum Danao obtulerant, ex iis insuper, quae habet Scholiastes ad Sophoclis Electram scribens: *monetae Argivorum insculptos lupos, ut Atheniensi noctuas*, merito Argivis adscribuntur hujus generis nummi. Refert praeterea Pausanias lib. II splendidissimum Argis extitisse templum Apollinis Lycii, ea occasione erectum, quod Corinthiorum agrum a lupis infestatum cujusdam ligni cortice liberasset.

ARIMINVM ITALIAE

Caput barbatum pileo tectum, qui in conum desinit.

MIЯA idest ARIMino retrograde scriptum. Miles galeatus, totoque fere corpore longiori clypeo tectus veluti in actu pugnandi stat, d. hastile vibrans, dependente altero breviori ab humero sinistro. Tab. add. XXXIX fig. 72.

V 2

Ariminum Vrbs maritima Hadriatico mari adjacet, nunc etiam in primis nobilis, opulenta, atque inter praecipuas Italiae Vrbes merito recensenda.

In adversa hujus nummi parte Vlyssis imaginem raepresentari, in posteriori vero Diomedem indivisum ejus comitem sibi suaserat Khellius videndus apud ejus Consodalem Eckhelium Num. Vet. pag. 6, ubi etiam invenies argumenta Eckhelii, quibus illa opinio refellitur, ac in dubium saltem revocatur. Animadvertit praesertim Eckhelius in vetustioribus, atque optimae notae monumentis Vlyssem exhiberi pileo, sive galea tectum hemisphericae figurae, cum in Ariminensi nummo anterioris partis imago pileum gestet, cujus forma in conum, atque in acumen clare conspicuum desinit, quamvis non inficietur etiam Vlyssis pileum nonnunquam eadem ratione exprimi, quod tamen Artificum indiligentiae, vel inscitiae tribuendum censet. Hujusmodi porro controversia modo plane dirimitur, et vera esse Eckhelii ratiocinia probatur ex insigni nummo, qui nondum eo tempore perspectus erat, cum imagine ipsius Vlyssis ab Ithaca ejus patria in perennem clarissimi sui Herois memoriam edito, quem vide tum apud cl. Neumannum, tum suo inferius loco. Cernitur in eo pileus sive galea Vlyssis hemisphaericae plane figurae, qualem egregie describit S. Hieronymus in epistola ad Fabiolam de Hebraeorum vestibus sacerdotalibus eam instruens his verbis: *quartum genus est vestimenti rotundum pileolum, quale pictum in Vlysse conspicimus, quasi sphaera media divisa sit, et pars una ponatur in capite ..... nec totum usque ad comam caput tegit*. Ex nostro autem numismate haec S. Doctoris descriptio mirifice confirmatur, magnumque praeterea pondus accedit vetustissimis picturis de Vlysse ab eo memoratis, tum caeteris probatioribus monumentis ab ipso Eckhelio, et Winkelmanno etiam laudatis. Facta praeterea utriusque nummi comparatione, insuper modo li-

quet galeam Vlyssis simplicem esse, nullo exteriori ornamento adjecto, e contra illius, quae in nummo Ariminensi cernitur, extremitates, ora quadam ex eodem metallo ornari, atque in longitudinem utrimque latissime protendi. Quibus adde faciem in imagine nummi Ariminensis in senium vergere, esse macilentam, et cum promissa barba, cum ea Vlyssis sit plenior, florentis magis aetatis, et satis rigentem praeferat barbam. Ex quibus omnibus unam ab altera imagine plane diversam esse certo statuendum. Hinc amplectenda potius laudati Eckhelii opinio quod in Ariminensi numismate Vulcanus exhibeatur, cujus cultus apud Italicos populos, ejusque in eorum nummis imago notissima sunt. Plura vide apud laud. Auctorem.

Rejecta itaque Khellii opinione de imagine Vlyssis in anteriori parte nummi Ariminensis, de Diomede in opposita ejusdem nummi facie ne cogitandum quidem. Et revera, ut recte pariter ibidem animadvertit Eckhelius, cum Diomedi vetustis omnibus monumentis fidem facientibus, clypeus rotundus tribuatur, quid cum eo scutum oblongum, quo totum ejus militaris figurae corpus tegitur? Neque de Marte suspicari fas esse puto. Est enim militis figura in actu congrediendi cum hoste. Militem Gallum in ea agnosco, cujus proprium erat scutum oblongum. Virgilius Ænead. VIII de Gallis Senonibus, ad quos pertinebat Ariminum ita cecinit, *Scutis protecti corpora longis*. Diodorus item generatim de Gallis scribit Bibl. I V: eos *uti Clypeis ad hominis staturam porrectis*. Denique ex Appiano habemus de Bell. Civili lib. V. Caesarem, postea Augustum, eum in maritima expeditione adversus Sex. Pompejum, oborta tempestate, in periculo versaretur, atque in montem proximum scapha aegre evasisset sub noctem, cadentibus ingentibus pluviis, ut autumnali tempore in iis regionibus contingere solet, sub scuto Gallico, sustinenti-

bus illud ad invicem militibus, totam eam noctem exegisse.

Atque haec fusius innuere placuit, quia revera in nummo Ariminensi totum militis corpus tegitur, excepto capite, pedibusque, et utriusque hastilis extremitatibus, atque ita quidem, ut nisi diligenter attendas, ac typus ipse sit omni ex parte integer, et ad vivum expressus, ea figura fucum facere possit, ut etiam pro testudine, vel rana accipiatur. Quod mihi initio contigerat, quodque pariter accidisse suspicor de duobus Ainsel., et Taniniano a Cl. Sestinio allatis Descript. Num. Vet. pag. 6.

ARCADIA REGIO

Caput Dei Panos juvenile cum cornu ad aurem d.

☧ in medio coronae ex apio. Ær. min.

De Arcadia interpretandum esse monogramma nemo dubitat, ab eaque communi totius gentis nomine plures editos fuisse nummos res ipsa per se loquitur. Eos vide apud Pellerin. Eckhel. etc. Nummi etiam docent Pana Arcadiae Deum non horrido vultu, sed sub formosi adolescentis specie apud eam gentem in honore haberi, ac depingi consuevisse.

Figura Dei Panis nuda, facie juvenili, et decora cum cornu in fronte, s. lateri fistula imposita, d. baculum, vel hastam gerit. In area ☧. Ær. 3.

Ex Mus. Mellingen.

Iste quoque ad Arcadiam Peloponnesi regionem spectat, et ab editis differt.

ARPI APVLIAE

ΔΑΖΟΥ Caput Jovis laureatum, ac rigenti barba conspicuum v. s.

ΑΡΠΑΝΩΝ Aper, cujus pars capitis superior execta cernitur paulo supra in area. Item superne monogramma ℟, et venabulum Ær. 2.

Peculiaris iste typus ad aprum Calydonium interfectum designandum positus, et ad Vrbis suae Aetolicam originem ex Diomede Conditore declarandam. Fuit autem Arpi Vrbs Apuliae magni quondam nominis.

HARPASA CARIAE

ΔΗΜΟϹ ΑΡΠΑϹΗΝΩΝ Caput juvenile populi Harpasenorum.

ЄΠΙ ΛЄΟΝΙΔΑ Pallas galeata, d. elata spiculum vibratura, s. clypeum gerit. Ær. 3. Tab. VI n. 15.

Inter paucissimos numerandus ex autonomis hujus Vrbis mediterraneae in Caria, qui hactenus innotescant. Idem nomen magistratus in nummo pariter Antonini Pii ab eadem Vrbe edito occurrit. Ex quo patet ad ea tempora nummum esse referendum. Hunc ipsum vulgatum invenies apud Sestin. D. N. V. p. 373.

ASCALON IVDAEAE

Caput muliebre velatum, et turritum.

ΠΡ

ΑΣ Navis. Ær. min.

Ascalon Judaeae cum anno ΠΡ CXXC. Jam admonuit Pellerinius in simili Haymano epocham ab Vrbis nomine dividendam, nec de Prasiorum Laconiae Civitate cogitandum.

ASSORVS SICILIAE

ASSORV Caput Apollinis laureatum versus dex.

CRYSAS Figura nuda stans, dex. vas, s. cornucopiae.

Assorus Siciliae Vrbs Ennam inter, et Agyrium ad fluvium Chrysam. *Chrysas*, inquit Cicero Verr. IV, *est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. Is apud illos habetur Deus.*

ASTACVS CILICIAE

Caput muliebre, hinc inde ante faciem in area Υ Μ, retro polypus.

Cancri genus, qui *Astacus*, graece Ἀςακὸς dicitur, italice etiam *Astice*. Drachm. arg.

Ex Mus. Mellingen.

Cl. Viri in nummis autonomis non modo sibi comparandis solertissimi; verum etiam in iisdem interpretandis acuti, excellentisque ingenii coniecturam libens amplector, quod in hoc antiquissimo arg. nummo Vrbs Bithyniae Astacus designetur ob aversae partis typum, qui non obscure indicat quid sibi velint initiales lit. ΑΣ. Quam multae sint ex antiquis Vrbibus, quae vel unica, vel duabus, aut tribus tantum literis in nummis nomen suum inscripserint, satis erit uberrimum adire elenchum Pelleriuii, quem exhibet. Suppl. II a pag. 105 ad 135.

Non infrequenter a Graecis Vrbibus typos in nummis exhiberi videmus a proprio nomine accersitos. Ita Ancona Italiae, addita voce ΑΓΚΩΝ, vel ea etiam omissa, ut in meis duobus: ita Side Pamphiliae, insculpto plerumque solo malo punico, vel una cum nomine Vrbis ΣΙΔΗΤΩΝ, aut ΣΙΔΗ, quae vox utique malum punicum significat: tandem, ut alia omittam exempla, sic Melos Cycladum Insula illu-

stris, quae in antiquissimis arg. malum exhibet, proprie dixeris peponem cum simplici M, vel in aliis cum MA Dorice, de quibus vidend. Eckhel. D. N. V. Tom. II p. 330; in recentioribus vero cum integra voce ΜΗΛΙΩΝ, quorum non paucos vide apud Pellerin. Pop. III p. 86 Tab. CIV, in quibus peponem nitide expressum invenies. Dicitur a Plinio haec Insula vocata *Melos*, quod esset omnibus rotundior: et fortasse etiam sic dicta, quod eo cucumerum genere praestaret. Nihil ergo magis veritati consentaneum quam quod ΑΣ, licet ordine sursum, deorsum scriptum in hoc nostro, cum typo Astici consentiat ad Vrbem cognominem indicandam.

Astacus, inquit Stephan. de Vrb., *πόλις Βιθυνίας, ἀπὸ Ἀστακοῦ*, quem ex antiqua mythologia, referente Arrhiano in Bithynicis, subdit, fuisse Neptuni, et Olbiae filium. Memoratur etiam Straboni, qui lib. XII scribit Astacum a Megarensibus, et Atheniensibus conditam, a qua etiam sinus *Astacenus* vocatus fuit, sed postea a Daedalso funditus eversam, ac Oppidanos in Vrbem Nicomediam a Lysimacho instauratam traductos fuisse.

Rem vero aliter describunt Eusebius Caesariensis, Constantinus Porphyrogen. denique Trebellius Pollio in Gallienis, quos consule. De Astico huic nostrae cognomine, quae ab eodem Stephano in Acarnania sita dicitur, cogitandum non esse arbitror, quod obscuri fuerit nominis, et vix a Strabone obiter nominetur. Si itaque quae hactenus allata sunt aliquam in suadendo vim obtinent, Astacus Bithyniae, Geographiae deinceps numismaticae augendae adiiciendus. Typus Astici etiam in nummis Laodiceae Syriae ad mare occurrit apud Pellerin.

ACHAIA PELOPONNESI

Caput Jovis laureatum v. d.

☧ in medio laureae. Ær. min.

Vt argentei, qui sunt magno numero cum simili monogrammate apud Hunter, aliosque Auctores, sic et in isto aeneo Achaeorum pecuniam agnoscendam esse non dubium. Vide Pellerin., Eckhel. etc.

BAGAE LYDIAE

ΔΗΜΟΣ Caput juvenile laureatum.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΑΡΧ

ΒΑΓΗΝΩ Fluvius Hermus jacens. Ær. 3. Tab. VI.

N num. 16.

Bagae in Notitiis tantum Ecclesiasticis memorantur, altum vero de ea Vrbe apud veteres Scriptores silentium: ob Hermum fluvium, de quo in aliis ejus nummis fit mentio, patet in Lydia sitam fuisse. Mirum videri potest Caji tantum praenomen nominari, qui Archontis magistratu functus fuerit. Verum res ita revera se habet, nec in epigraphe quicquam desideratur. Magistratus Archon in Imperialibus etiam notatur.

BARIVM APVLIAE

Caput Jovis v. d. pone duo astra.

ΒΑΡΙΝΩΝ Cupido prorae navis insidens sagittam ex arcu emissurus, in imo delphinus. Ær. 3. Tab. VI n. 17.

Hunc exhibere placuit ob lit. ω parvam, qua scribitur nomen Vrbis, ut etiam in altero videre est apud Magnan. Misc. T. III Tab. XI tum apud Hunter. Cum autem hi nihil differant a caeteris, in quibus scriptum Ω, utrique non

ita *graeco antiquissimi* videntur, ut laud. Magnanio visum est. Certe qui habent ω recentioris aetatis habendi.

Alius similis, sed nomen Vrbis scriptum cum Ω. Ær. 3.

BENEVENTVM SAMNII

BENVENTOD Caput Apollinis laureatum v. s. Equus exultans, supra quem Pentagonum, et lit. ΠΟΜ. Infra vero ΠΡΟ. Ær. 3.

Quidquid alii senserint de postrema litera inscriptionis adversae partis, in meo integerrimo est D, ut etiam in proximi Larini nummis ejus nomen scribitur ΛADIKOD, quem vide infra suo loco. Hinc emendandus P.Paoli: Rudera Paesti, ubi legit BENVENTOO Tab. LVII, et Sestinius, qui BENVENTOR in hoc meo ipso. D. N. V. p. 10. *Beneventum auspicatius*, inquit Plinius lib. III cap. 16, *mutato nomine*, *quae quondam appellata Maleventum*. In aversa parte laud. Eckhel. nomen magistratus agnoscit. In hoc nostro epigraphe ita in duas partes secta est, ut binas voces continere videatur. Nam, ut in iconismo videre licet, superne legitur ΠΟΜ; infra vero intra equi pedes sic Ο ЯΠ; quare, si unum magistratus nomen subintelligendum, incipienda lectio ab anteriori equi pede dextro. Exemplum autem, quod affert Eckhel. D. N. V. T. I. p. 102, et pag. 117. de voce ΠΡΟΡΟΜ, ex quo suspicatur in meo quoque Beneventi forte legendum esse ΠΡΟΡΟΜ, ad rem non facit. In hoc enim nostro nitidissime legitur, ad caput equi ΠΟΜ, infra retrograde ΠΡΟ. Ac primae quidem tres literae scriptae sunt, ut in plurimis Possidoniae, litera Σ orizontaliter jacente sic M. In schemate quinque lineae, quae ex tribus triangulis inter se junctis pentagonum efficiunt ab artifice omissae, quae in autographo clare satis apparent.

BOEOTIA REGIO

Caput Neptuni adversum frondibus ornatum, fluentibus ad utramque aurem capillis.

BOIΩT .... Neptunus d. tridentem, d. pede rupi imposito.

Cum Cereris facie adversa, ut in meis duobus, apud Hunter, aliosque jam editi, forte etiam cum eo Herculis, aut Apollinis apud Haymium, sed primus iste, quod noverim, cum Neptuni facie, neque enim Jovis esse videtur. Neptunum maximo in honore habebant Boeotii, quod ex Boeotio Neptuni, et Arnae filio originem suam ducerent.

BOTTIAEA MACEDONIAE

Caput Palladis galeatum v. d.

ΓΑΙΟΥ ΤΑΜΙΟΥ

ΠΟΠΛΙΛΙΟΥ Bos pascens v. d., et inter ejus crura Ɓ, idest BOTTIAIΩN, vel BOTTEATΩN. Ær. 2.

Nexum Ɓ recte, mea quidem sententia, interpretatur Sestinius de Bottiaea, quae erat parva Macedoniae Regio non longe ab Axii ostiis posita, continebatque Vrbem Pellam Alexandri M. natalibus illustrem. Neque enim explicari potest de Macedonia secunda, ut Pellerinio videbatur, tunc enim addita esset litera T sejuncta ab altera B: est autem, ut clare patet in hoc nostro, et in pluribus aliis editis a Cl. Sestin. Descrip. N. V. p. 85, nexus ex lit. T, B, et O simul compositus. Nulla alia autem est Vrbs Macedoniae, cujus erat Quaestor C. Publilius, quam Bottiaea, cui similis nexus convenire queat. Vide etiam apud eundem Sestinium pag. 99 cum capite pariter Palladis, et bove pa-

scente nummum, integre inscriptum ΒΟΤΤΕΑΤΩΝ, sine ullo nexu.

Quod vero ad magistratum attinet apud laud. Sestinium citato libro p. 85, et in Catalogo Cusineriano legitur in nummis tam ΠΟΠΛΙΛΙΟV, quam ΠΟΠΛΙΛΙΟV, sumpta quarta lit. pro Λ. Quod aegre tamen admiserim; in singulis enim hisce nummis designatur Quaestor C. Publilius, qui graeca metho lo scribendus, ut in primo exemplo ΠΟΠΛΙΛΙΟV, ut etiam PVBLIVS Latinis, est ΠΟΠΛΙΟΣ Graecis.

BRVTTII ITALIAE

Caput barbatum v. s. cum galea, in qua equus alatus ; ΒΡΕΤΤΙΩΝ Pallas stolata, et galeata graditur v. d., utraque manu clypeum retinet, et ad humerum sin. hastam transversam gerit. Ær. min.

Nummus elegans, ut plerique alii jam editi, quos omitto communi omnes Bruttiorum nomine signatos, cujus populi sedes in extremo Italiae sita.

BRVNDVSIVM CALABRIAE

Caput Neptuni laureatum, pone S.

BRVN in imo, et ad caput Delphini P.DE. Vir nudus delphino insidens, d. victoriolam, s. lyram. Ær 2.

Magistratum istum nondum editum inveni, quo nomen Romanum contineri, ut in aliis jam editis, et in nummis pariter Paestanorum inveniuntur, ut apud Numismaticos res est explorata.

Figuram nudam delphino insidentem merito interpretatur Eckhel. de Arione Lesbio a Neptuno servato, cujus hymnus in servatoris honorem a se compositus adhuc extat apud Ælianum. Non longe a Brundusino portu id por-

tenti evenerat, cum Arion Corinthum reversurus solvisset. Ex eo Calabriae portu notissimo familiaris erat Romanis in Graeciam trajectus.

Caput Neptuni laureat. pone victoriola, quae ipsi coronam imponit, retro tridens, et in imo tres globuli.

BRVN, et in area ΛΒ Arion delphino insidens d. victoriolam, s. lyram. In imo tres globuli. Ær. min.

M. BIT Caput imberbe laureatum, retro tridens, infra S.

BRVN Arion delphino insidens, ut in praecedentibus. Ær. 2.

Vterque anecdotus, primus ob nexum, et minimam formam tribus globulis notatam, iste ob imberbem vultum, quem arbitror Apollinis.

BYTVNTVM CALABRIAE

Caput Palladis galeatum.

ΒΥΤΟΝΤΙΝΩΝ spica. Ær. 3.

Primum similem edidit Pellerin., secundus iste, quorum ope emendatur Haymius, qui Part. II p. 123 legebat ΒΥΤΡΟΤΙΩΝ, Butrotumque Oppidum in magna Graecia constituendum putaverat. Bytontinus ager, de quo etiam mentionem habent Plinius, et Frontinus, ex aversae partis typo frumenti ferax extitisse judicandus est, ut nunc quoque ea de causa commendatur.

BYZANTIVM THRACIAE

ΒΥΖΑΣ Caput galeatum promissa barba insigne.

ΕΠΙ ΑΙ ΠΟΝΤΙΚΟΥ ΗΡ. Prora navis, supra quam figura militaris stans d. extensa parvam figuram gestare videtur, s. hastam. Ær. 2. Tab. VI n. 19.

Praemonuit jam Eckhel. similes nummos in Catalogo Theupol. immerito Vrbi Byziae adscribi, cum ad Byzantium Thraciae Vrbem sint referendi. Quis fuerit Byzas, cujus imago in adversa parte conspicitur inter se minime consentiunt veteres Scriptores: a Byzantiis tamen velut Conditorem habitum nummi ipsi declarant. Hinc Claudianus sic cecinit:

Quod tertius Vrbis
Conditor, hoc Byzas, Constantinusque videbunt.

De *Ælio Pontico* mentio quoque est in pluribus nummis Imperatorum. Vide Eckhel. meosque nummos M. Aurelii, ubi de lit. HP inquiritur, quae de cognomine Pontici interpretandae mihi videntur.

CALENVM CAMPANIAE

Caput Palladis galeatum v. d.

CAⱶENO Victoria in bigis. Arg. 2.

Nummus iste elegantioris formae, ut est metalli. Cales Campaniae Vrbs illustris, a qua gentile Calenus: de forma lit. ⱶ exempla habemus in nummis Aeserniae, et Albae. In aereis quoque Caleni nummis, quos omitto, eadem ejus literae forma conspicitur. Promiscue tamen, modo ista, modo communi scribendi ratione, ut in uno ex meis cum capite Apollinis laur., et tauro humana facie in aversa. Nam cum in utraque parte scriptum legatur nomen Vrbis, in anteriori L communis est formae, secus in aversa. Illud etiam peculiare in altero cum capite Palladis, et in aversa gallus stans: scriptum enim in eo legitur clarissime CALENΩ cum Ω in fine.

CARTEIA HISPANIAE BAETICAE

CARTEIA Caput femineum turritum ad d.

D D Neptunus nudus stans v. s, d. delphinum, s. tridentem: pede d. saxo imposito. Ær. 2.

Si ab hoc nummo integritate praestanti demas tres turres in capite clarissime conspicuas ad similitudinem accedit imaginis, quae conspicitur in eo Haymii Tom. I Tab. XXIII. n. 9, ac facile cum ea Jul. Caesaris confundi posset ob lineamenta in senium vergentia, et prominentes a fronte capillos, qui in nummo detrito pro laurea ejusdem Dictatoris accipi potuere. Sed praeterea in nostro retro capilli in orbem collecti, non autem taeniae dependentes conspiciuntur. Merito itaque Eckhelius, cum Florezio, et Combio Genium Vrbis, ac in caeteris agnoscit, ut jam Erud. Carterus Anglus de eodem Haymiano nummo, quem oculis suis diligenter inspexerat, merito judicaverat. Turres evanescentes, vel deletas praeclariss. Virum in errorem pertraxisse necesse est.

CARVSTVS EVBOEAE

Caput bovis adversum.

K magnum aream occupat.

Cum utroque typo in aliis apud Hunter, et Eckhel. legitur KAPV. Hinc merito et iste eidem Vrbi adscribendus. Devictis Persis Carystii bovem aeneum Apollini dedicaverant, quod nempe, referente Pausania, post eam victoriam bobus suis agros libere exercere ipsis permissum fuisset. Plura vide apud Eckhel.

CORINTHVS ACHAIAE

Caput Palladis galeatum ad s. in quadrato incuso.

Ϙ Pegasus alatus ad s. Arg. 2.

Ϙ Pegasus volans ad s. Tridens. Ær. min.

In primo ex descriptis omnia symbola conspirant, ut nummum Corinthium agnoscamus. Pausanias enim testis est Lib. II. cap 4 extitisse Corinthi templum Α'θήνας χαλινίτιδος, hoc est *Minervae Frenatricis*, sic dictae, quod pegasum freno a se subactum Bellerophonti dono dedisset. Quam fabulam fuse quoque describit Pindarus Olymp. XIII. 89. Narrat insuper Pollux. Lib. IX. cap. VI, quod Corinthi nummus vocaretur *Pullus* πῶλος, quia pegasum insculptum habebat: ex quo sequitur obviam fuisse hanc Corinthiorum monetam, pari ratione, qua erat commune, et obvium didrachmum Atheniensium cum noctuae typo, quod propterea γλαυξ nominabatur, teste eodem Polluce, aliisque veteribus Scriptoribus. De elemento Ϙ, quod erat vetustissimum Koph Phoenicium, vimque habebat exprimendae lit. K, ideoque aptissimum esset, licet solitarium ad designandam ex antiquo more Vrbem Corinthum nemo sane inficias ibit.

Ne autem dubites, quod illud elementum, esset proprium linguae Corinthiorum, eoque uterentur etiam in communi scribendi genere, novum nunc accedit monumentum, quo id mirifice confirmatur. Est autem vas elegantis formae undique depictum cum figuris similem fere in modum, quo sunt ea, quae apud nos vulgo, vasa Ætrusca nominantur. In ejus operculo exhibetur celebris quaedam venatio, ad instar illius de apro Chalydonio, cui interimendo operam suam praestant octo Figurae, adiecto ad unamquamque proprio nomine. In iis autem nominibus describendis promiscue adhibitae conspiciuntur literae Ϙ,

et K, quod utrumque elementum antiquissimum esse constat. Eximium hoc vas, quod egregius vir Dodvvel Anglus in effodiendis vetustis quibusdam sepulcris prope muros Vrbis Corinthi a se cum aliis similibus, sed sine literis inventum Romam nuper attulit, mihique conspiciendum praebuit, in praeclaro suo Opere, quod brevi editurus est de Graeciae antiquitatibus, quas in ea per biennium peragranda inspexit, ac delineandas curavit, fuse illustrabit, illud etiam demonstraturus, quod facile praestare poterit, istud, et alia similia vasa ibidem effossa, non ab Italia in Graeciam fuisse translata, sed esse nativa, et propria celeberrimae, atque opulentissimae quondam Vrbis Corinthi. Cum haec itaque ita se habeant dubitare minime fas est in argenteo nummo nostro, caeterisque similibus tanta copia editis, in quibus eadem symbola utriusque partis, uni Corintho convenire supra probavimus, initialem quoque literam Ϙ, tanquam Corinthi ἀρχαιϊσμὸν merito habendam esse.

Restat modo, ut de controversia dicam, quae adhuc viget inter eruditos Numismaticos de Vrbe, in qua signati dicendi sint hujusmodi nummi. Quamquam enim consentiant ob tam perspicua symbola, quae in praemissis confirmanda duxi, iisdem nummis unam Metropolim Corinthum exprimi, contendunt tamen non pauci, iique praestantissimi Viri, eos non ab Vrbe Corintho profectos esse, *sed domesticam hanc Syracusarum monetam fuisse*. Ita cum Neumanno, et Sestinio Cl. Eckhelius, qui postremus cum in lib. Num. Vet. pro Corintho stetisset, in altero postea de D. N. V. T. II pag. 247 ad contrariam delatus est opinionem, ea potissimum de causa, quod ingens horum argent. numismatum copia in universa Sicilia reperiantur. Agnovit tamen Vir praeclarissimus, ut postremo loco ibidem fatetur, sententiam hanc aegre cum ea, quae pro Corintho pugnat, conciliari posse. Vidit enim hac admissa cum supra laud. Viris, tam illustrem, et opulentam Vrbem, qualis

extitit Corinthus, matrem insuper Syracusarum, omni proprio antiquissimo numismatum genere privatam iri, quod cuiquam merito incredibile videri poterit.

Itaque ut meam hic conjecturam subjiciam, ita sentio: eandem habendam esse rationem de hoc monetae Corinthiorum genere, quae habetur de Atheniensium pecunia pariter argentea cum noctuae typo in aversa parte; ita ut quemadmodum ista instituta fuit in commercii commodum, et ubique gentium propagata; ita quoque de illa Corinthiorum, si non adaequata, parum dissimili tamen ratione statuendum sit. Vtrique Vrbi, ut paulo ante vidimus ex Polluce, erat argenteum numisma proprio nomine distinctum, et communi omnium gentium fama cognitum: utraque Vrbs antiquissimam habuit originem, utraque opulentissima evasit. Corinthus vero cum felicissimo in loco sita esset inter duo maria, necessarium ei erat ad exercenda commercia cum quibusque Nationibus, quae ad se appellerent, ut illud pecuniae genus in promptu haberet, quod ab iis probari, ac recipi posset, sicque fieret, ut longe, lateque diffunderetur, quod praecipue de Coloniis a se deductis intelligendum. Ac revera ita evenisse duplici, eoque firmissimo argumento probari posse existimo. Vnum est, de quo consentientem habeo testem ipsum eruditiss. Eckhelium Num. Vet. p. 128, alterum quod eidem Cl. Viro, caeterisque supra laudatis ignotum plane extitisse miror.

Primum illud est: Didrachma omnia Corinthiorum argentea, quae Palladis imaginem insculptam habent cum pegaso, et antiquissimo Phoenicio elemento Ϙ, quocunque loco reperiantur, sive fabricam, sive argentum, ejusque bonitatem, sive denique pondus ad examen revocetur, ita inter se exacte conspirare, ut id peculiari aliqua de causa factum fuisse idem ipse Eckhelius agnoscat. Quae porro alia verior causa assignari potest, quam quod hujusmodi numismatum genus ab uno eodemque fonte, et monetaria

officina Corinthi ortum habuerit in commune exterarum gentium, suarumque Coloniarum commercium, usumque? Ad summum concedi poterit aliquam numismatum partem ad Corinthiorum imitationem in alia quaque Regione, vel Vrbe opulenta signari potuisse, ut de iis Atheniensium cum noctua in Creta factum fuisse contendit idem Eckhelius.

Alterum ducitur ex praeclaro, vetustissimoque Corcyraensi lapide, quem Cl Montfauconius ab Apostolo Zeno Venetiis dono acceptum in suo Diario Italico illustratum edidit, ac deinceps novis curis emendatum extat in egregio Opere de Corcyrae Primordiis. Continet illud donationem factam ab Aristomene magistratum gerente, et a Psylla Alcimi filio Corcyraeorum Vrbi, et Baccho minarum sexaginta pro unoquoque *argenti Corinthii*, ut erogarentur in mercedem ad festa Dionysiaca quolibet anno celebranda. Iis autem conditionibus dono dantur, ut integra summa, quae emergit centum viginti minarum foenori tradatur, donec perveniat ad minas centum octoginta, quae deinceps ad usuram dari debeant, ut ex annuo foenore percipiendo secundum legem Agonothetae solvatur Operariorum merces, et quolibet anno celebrentur Dionysia, sive Bacchi feriae. Additur autem: ut nec plus quam duae drachmae ad singulos menses pro singulis minis ad usuram traditis accipiantur, neque inferiori pretio pacisci queant, atque ut ex usura inde proveniente conducantur Tibicines tres, totidem Tragoedi, et Comoedi ad Dionysia peragenda, iisque Operariis, vel Histrionibus, singulis annis, qui principes erunt, annonam, et mercedem praebeant ex foenore hujusmodi, nec in alium usum ea pecunia erogari queat, quam ut in Donatione scriptum est. Mulcta etiam indicitur ex eadem pecunia solvenda iis, qui quidpiam eorum, quae sancita sunt omiserint, vel contra fecerint etc. Atque ut verbo concludam, in toto illo autographo Donationis monumen-

to, qua late patet, non alia mentio fit, quam de Minis, de Drachmis, de pecunia argenti Corinthii.

Quid porro luculentius hoc illustri monumento, ut pateat argenteam Corinthiam pecuniam a Corcyraeis, et ad proprium domesticumque usum, et ad communia contractuum, et commercii negotia cum exteris Nationibus agenda receptam, adhibitamque fuisse? Constat apud omnes Eruditos pecuniam omnem apud Graecos antiquitus ἀργυρίν nomine appellatam fuisse, quia tunc communiter non nisi ex argento signabatur. Idque probat hujus monumenti antiquitatem, et in eo revera de pecunia signata sermonem esse. Cum autem in eo lapide de *Corcyra* mentio fiat, quae antea *Scheria* vocabatur, sequitur etiam eam donationem factam fuisse, cum jam Corcyra Colonos a Chersicrate Corinthio deductos recipere debuit; tunc enim primum ei hujusmodi nomen inditum. Ex ipso vero Donationis monumento manifestum quoque fit memoratam in eo pecuniam jam tum apud exteras gentes propagatam, et in usu communi receptam fuisse. Praescribitur enim, ut conducantur Tibicines, Tragoedi, et Comoedi, iisque ad Vrbem accedentibus praestetur annona, et debita merces ex pecunia arg. Corinthia pro Dionysiacis festis celebrandis. Additur insuper quod si Civitas interveniente aliquo bello, vel alia causa non miserit ad Histriones conducendos, vel iidem non accesserint, in foenus tradatur pecunia, quae ipsis solvenda fuisset pro annona, et mercede pro diebus festis peragendis. Qua propter cum indefinite scriptum sit, ut a quacunque, vel ipsius Insulae, vel exterarum Nationum Vrbe conducantur supradicti Histriones, fieri non poterat, ut ipsis pro annona, et mercede solvenda statueretur arg. Corinthii pecunia, nis illa in ipsorum Regionibus, eorumque patria in proprium usum, commodumque commutari, et expendi posset. Praeterea cum maritima Vrbs Corcyra ob loci opportunitatem cum quolibet Nationum ge-

nere commercia exerceret, ob quae maxime dives, et opulenta facta fuerat, et ad tantam potentiam pervenerat, ut vix ultra ducentesimum annum, ex quo Coloniae formam receperat, cum ipsa Metropoli sua Corintho ex ortis contentionibus, proeliis navalibus contendere, et de imperio maris certare potuerit, consequens sane intelligitur, quod contractus, et negocia, cum exteris quibusque gentibus peragere non potuisset, nisi domestica, qua utebatur pecunia Corinth. argentea ab eisdem admitteretur, ejusque usus communis apud omnes, vulgarisque factus esset.

Quod autem de Corcyra dictum est id potiori jure statuendum esse nemo non videt de ipsa Metropoli Corintho, a qua ea pecunia emittebatur, quae opibus, et omni rerum abundantia longe praestabat, quae Colonias ab antiquissimis temporibus, et jam in ipso nascentis Romanae Vrbis exordio, praeter Corcyram, et Syracusas in Sicilia deductas, plures alias ubique effuderat, quaeque cum esset inter duo maria, nihil opportunius eo loco ipsi fuisse intelligitur ad quaecunque exercenda negotia maritima, et ad ingentes divitias sibi comparandas. Si Corcyraeis familiaris erat pecunia Corinthia arg., et ab exteris Nationibus communiter recepta, id potiori jure concedas oportet de eadem pecunia a Metropoli Corintho ubique propagata ex ampliori ipsius commercio maritimo cum suis Coloniis, caeterisque exteris quibusque gentibus.

Quibus jam praemissis, et demonstratis, ut ad cardinem controversiae veniamus, nemo sane negare poterit commercia quoque maritima inita fuisse ab Vrbe Corintho cum Insula Siciliae omnium Mediterranei maris, opibus, frugum abundantia, navali commercio, antiquitate, et potentia clarissima. Sive enim propinquitatem spectes, sive Graecas nationes, Dores nempe, Jones, Chalcidenses, qui in illa, ejectis barbaris, Vrbes fundaverant, sibique in iis sedem constituerant, sive denique animo re-

putes Corinthios fuisse, qui Syracusarum Vrbem simul condiderant, simulque Coloniam fecerant jam ab Vrbis R. conditae anno quinto, fatearis oportet a remotissimis temporibus inter utrosque affines, ejusdemque linguae populos maximam rerum maritimarum conjunctionem, commercii causa, intercessisse, atque inter hos sane praecipuum locum Metropolim Corinthum habuisse. Hinc jure merito concludere fas est argenteam Corinthiorum pecuniam latius etiam, quam in alias Nationes per universam Siciliae Insulam effusam, propagatamque fuisse, ideoque etsi illa in tota hac Insula e terrae visceribus nostra quoque aetate eruatur, non Syracusarum Vrbi, sed uni Corintho assignandam esse. Ex quo ultimo sequitur quod Vrbs dives adeo, et totius Graeciae quondam lumen, quae omni hactenus arg. pecunia cum Pallade, pegaso, et lit. Ϙ tam sibi propriis characteribus spoliata fuerat, ad pristinum splendorem revocetur.

Eruditissimus Montfauconius eximium Corcyraeorum lapidem, quem in Diario Italico primum vulgaverat, deinceps Tomo V Antiq. Expl. pag. 5 Supplem. comparare minime dubitavit cum eximiis duabus inscriptionibus, quae inter Marmora Oxoniensia referuntur, quarum prima continet Foedus initum inter Smyrnam, et Magnesiam Lydiae pro majestate, atque incolumitate tuenda Seleuci II Syriae Regis, de qua pluribus a me actum in Dissert. de Ciceronis numismate cum ejus imagine Magnesiae Lydiae, ut illud huic Vrbi vindicarem; altera vetustiss. Chronicon, in quo praecipua veteris historiae capita summatim describuntur, adiectis ad singula notis temporum chronologicis.

Itaque ex tanti Viri fide, atque in vetustis monumentis aestimandis exercitatione, et peritia jure inferre fas est praeclarum Corcyraeorum lapidem ad proxima Seleuci II Regis tempora esse referendum. Foedus porro cum eo a Smyrnaeis, et Magnetibus initum inter Chronologos con-

venit spectare ad annum regni Seleuci II quartum, Seleucidarum LXIX, ante Christi nativit. CCXIV, qui respondet anno V. C. Varr. DX. Ad haec igitur plus minus tempora Aristomenis Donatio revocanda. Consentit etiam utriusque monumenti similis fere in rebus describendis ratio, et modus, tum formulae, et sanctio in fine iis temporibus familiaris: quod exemplum Donationis, ac Decreti describatur in cippo lapideo, et reponatur quo loco Senatus expedire judicaverit.

Quae cum ita se habeant, ex his novum nascitur argumentum ad ea confirmanda, quae supra demonstrata sunt. Corcyram Vrbem antiquissimis temporibus suam propriam emisisse pecuniam, ac primo argenteam nemo ex Numismaticis in dubium revocat. Quae ex autonomis argentea illius Vrbis describit Eckhelius Tom. II D. N. V. p. 178, ac etiam delineata videri possunt apud Hunter, et Pellerin. anteriora etiam dicenda sunt eo tempore, ad quod Aristomenis Donationem referendam esse probavimus. Quamquam igitur anteriori etiam aetate, quam ea donatio facta fuisset, Corcyra propriam jam Vrbis suae pecuniam signaret, eamque propterea Aristomene magistratum gerente ad domesticos civium suorum usus adhiberet, in solemnibus tamen publicisque contractibus, negotiis, donationibus argentea Corinthiorum pecunia utebatur: neque solum intra Civitatis fines, sed etiam cum exteris gentibus, ut ex Histrionibus undique accersendis ad Dionysia celebranda ex ipso Donationis monumento liquet. Hinc ergo jure concluditur, et ante Aristomenis prytaniam, tum etiam sub ejus magistratu, pecuniam Corinth. arg. ubique gentium diffusam, et apud exteras quasque Civitates usu communi, ac commercii causa receptam, adhibitamque fuisse.

Quibus ita se habentibus pluribus sane opus non est, ut idem de Syracusis, et universa Sicilia admittatur. Sexto Romanae Vrbis saeculo ineunte in ea Insula, imprimisque

ab opulentissima Syracusarum Vrbe prodierat propria cujusque Civitatis pecunia, et ingenti quidem copia. Sed necessitate commercii cum exteris gentibus, praesertim maritimis, moneta Corinthia, cum pari fere modo, quo Atheniensis ab antiquiori tempore apud illas communem aestimationem, usumque ex argenti bonitate, valore, et aequali pondere consecuta esset, opus fuisse intelligimus, ut ab eisdem Siciliae Civitatibus, populisque in ejus generis exercendis, transigendisque negotiis adhiberetur. Hinc mirum videri nequit, quod magna etiam ejus pecuniae quantitas superesse potuerit, quae nostra quoque aetate e terrae visceribus emergat. Quod vero in finibus Corinthi, aliisque proximis Regionibus nonnisi pauci ex hujusmodi nummis modo inveniantur, licet unus illustris Gradenigo in sua Legatione pro Repub. earum Insularum triginta didrachma Corinthia se reperisse testetur apud Eckhel. T. II. p. 247, inter alias causas tamen ea potissimum assignari potest, quod a L. Mummio An. V. C. DCVI inclyta ea Vrbs penitus excisa, et deleta fuerit, atque in cinere, et oblivione tamdiu jacuerit, donec a Julio Caesare A. V. C. DCCX Colonia fieret, ac tum linguam latinam, moresque indueret.

ROMAE ET IMPERIO Caput turritum.

L CAN AGRIPPAE II VIR COR Templum sex columnarum. Ær. 3.

IMP. . RATORI . . AL AVG ROMA Caput turritum Genii Vrbis Romae.

L CAN . . . . Binae dex. junctae, a quibus retinetur fasciculus duarum spicarum emergens, papavere intermedio. Ær. 2. Tab. VI n. 20.

Plures ex hujusmodi nummis editi fuerunt ab Vrbe Corinthiorum post Neronis mortem, de quibus vide in serie Imper. ad Num. Galbae. Ex vestigiis in anteriori parte legendum videtur, ut supra.

Caput Veneris comptis capillis, unione ex aure dependente.

COL L IVL COR Bellerophon pegaso insidens contra chimaeram decertans. Ær. 3.

Caput superiori simile.

..OL L IVL COR Sepulcrum Laidis, cui imposita leaena anterioribus pedibus arietem prostratum stringens. Ær. 2. Tab. VI. n. 21.

Vel uterque nummus de Laidis imagine, ut nonnullis in hoc secundo agnoscere placet, accipiendus, vel hic etiam Veneri adjudicandus ob eadem plane vultus lineamenta. De insigni ejus feminae pulchritudine nihil attinet dicere omnium sermone, ac fama tantopere celebrata. Hinc minime repugnat, si eam in sua pecunia expresserint Corinthii, quibus ea tantae admirationi semper fuit, ut adhuc Pausaniae aetate, ut ipse narrat, de ea certarent. Illius sepulcrum idem Auctor describit quale reipsa in aversa parte expressum cernitur. Atque ex hoc suppletur alter detritus apud Pellerin. Pop. Tom. III Tab. CXVI. n. 5.

INSTIGATVS Leo rugientis in morem, exertaque lingua ferox.

CO RIN intermedia Victoria, quae d. elata coronam, s. palmam gerit. Ær. min.

De aliquo Corinthiorum edito certamine interpretandus videtur hic anecdotus nummulus, in quo Leo ferocitate exultans peculiare aliquod specimen sui spectatoribus praebuerit, atque INSTIGATVS apellaretur. C. Caligula equum habebat nomine INCITATVM ad ludos, et spectacula, cui ad insaniam honores detulerat.

Iungendus huic alter aeque anecdotus, Mus. Mellingen, qui sequitur.

I. CO.. Hercules nudus clava elata Diomedem prostratum arreptis capillis a fronte conterit: infra pedes Diomedis bina capita equorum.

Idem Hercules Antaeum apprehensum, medioque corpore stringens in altum elevat suffocandi causa. Ær. 3.

Corinthus nobilissima Vrbs Achajae ad Isthmum posita, quae propterea bimaris ab Horatio appellata, quantum opibus abundaverit neminem latet. A Mummio deleta, a Jul. Caesare deinceps Colonia facta fuit, atque ad hoc postremum tempus spectant nummi superius descripti, praeter primos cum lit. Ϙ.

DAMASCVS COELESYRIAE

Caput Bacchi.

ΔΑΜΑϹ Cista Bacchi, cornucopiae, spica, et notae ΘΚΤ. An. CCCXXIX. Epoch. Seleuc. Ær. 3.

Damascus Coelesyriae, fertilitate soli, ludorumque splendore celebrata. De ejus epocha vide in lib. peculiari, ubi de eisdem agitur.

DELPHI PHOCIDIS

Figura Apollinis stolata, d. lyram.

ΔΕΛΦΩΝ Tripus. Ær. 3.

Adversa eadem, ut supra.

ΔΕΛΦΩΝ Corona, in qua ΠΥΘΙΑ, et infra in imo tres monticuli. Ær. 3.

Ex Mus. Dodwell.

Vterque anecdotus, ac intra fines celeberrimi quondam Delphici Apollinis templi inventus. Peculiaris secundus, qui docet Parnassum montem intra duos colles positum fuisse.

DEMETRIAS SACRA

Caput virile nudum.

ΔΗΜΗ

ΤΡΙΕΩΝ Mulier capite turrito rupi insidens d. extenta, ad pedes fluvius natans. Ær. 2.

ΤΗΣ

. . . ΑΣ, idest ΙΕΡΑΣ

Quod similes nummi in Syria inventi sint, inscriptionis modus, praeterea titulus ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ, ipsa denique figura rupi insidens cum adiecto ad pedes flumine ad caeterorum numismatum rationem, quae ab earum regionum Vrbibus edita conspiciuntur, cum cl. Eckhelio, Combio, et Sestinio a Thessalia Europae abjudicandi, ac Syriae potius adscribendi, quamvis certa ejus Vrbis sedes hactenus in obscuro versetur. Vide apud Hunter Tab. XXV. n. 5.

DIOSCVRIAS COLCHIDIS

Dioscurorum pilei cum astris.

ΔΙ ΟΣ

ΚΟΥ ΡΙΑ ingens columna intermedia erecta, supra

Δ ΟΣ quam vas. Ær. 3. Tab. VI n. 22.

A Dioscuris condita haec Vrbs Colchidis merito *Dioscuriadis* nomen accepit, eorumque cultum apud eandem denotant pilei in adversa parte. De posterioris typo dissentiunt Numismatici. Alii enim metam, alii Pharum, vel etiam sagittam in eo agnoscunt. Magnae molis columnam erectam in meis duobus video ita extructam, ut vel interius ad summitatem ascenderetur, vel etiam, ut ex hisce, et exemplo Haymiano coniicere licet, exterius per totidem veluti gradus ad ipsam superiorem partem pateret accessus. Certe enim supra columnam positum cernitur magnum vas

ad lumen continendum aptissimum. Erat autem Dioscurias maritima, et olim ob commercium adeo celebris, ut referente Plinio lib. VI. cap. V ex Timosthene, nisi tamen iste verum exaggerasse dicendus est: *in eam CCC Nationes, quae dissimilibus linguis uterentur, descenderent: et postea a Romanis CXXX interpretibus negotia ibi gererentur.* Itaque suprascripta columna Phari loco stetisse dicenda est, ut recte jam Pellerinius conjecerat. Similem fere columnam additis insuper utrimque in area tridente, et prora navis, vide in Vrbe Panticapea apud laud. Pellerin. Pop. I. Tab. XXXVII n. 9. Quo sane nil aptius ad nocturnum Pharum designandum.

DYRRACHIUM ILLYRICI

ΔΥΡ ΑΡΙΣΤΩΝ. Horti Alcinoi.

ΚΕΡΔΩΝ Vacca ubera vitulo praebens: superne caput femineum cum hasta ad hum. sin., in imo noctua stans. Arg. 3.

Hujus Vrbis maritimae, quae olim Epidamnus dicta proximo ad Italiam trajectu positae obvii, et frequentes sunt nummi tam argentei, quam aerei. In meis aeneis cum capite Jovis occurrit etiam nomen magistratus ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ addito infra tripodem ΔΥΡ, quod merito Neumannus Tom. I. pag. 163 notat ab Auctore Mus. Pembrokiani haud recte de Agathocle Siciliae Rege acceptum. Quod hoc nummulo egregie confirmatur.

DORA PHOENICIAE

Caput Jovis laureatum sine epigraphe.

ΔΩΡ.... In area ΡΚΗ An. CXXVIII Mulier stolata, et turrita stans d. hastam cum labaro, s. cornucopiae. Ær. 2.

Alius similis, sed notae PAB An. CXXXII. Ær. 2.

Cum notis PKH, item cum AAP jam a Pellerinio editi, tertius cum PAB nunc primum in lucem prodit. In meo utroque praemittitur major nota non inusitata apud Phoenicios methodo, cujus regionis *Dora* erat Vrbs maritima a Doro Neptuni filio condita. De epocha hujus Vrbis vide in lib. peculiari de Epoch.

ELAEA AEOLIDIS

ЄΛΑΙΤΩΝ Caput Cereris spicis ornatum.

ЄΛΑΙΤΩΝ Vas, in quo flores, frugesque. Ær. min.

Similem aversam vide in nummo Lucii Caesaris Augusti filii.

Caput Cereris spicea corona ornatum.

ΕΛ ΑΙ Lampas accensa ramo oleae imposita, omnia
Τ ΩΝ intra coronam oleaginam. Ær. min.

Elaea Aeolidis ad sinum ejusdem nominis, navale quondam Regum Attalorum.

ELEVTHERNAE CRETAE

Caput femineum laureatum.

ΕΛΕVΘΕΡΝΑΙΩΝ Omphale rupi insidens exuviis leonis tegitur. Dext. manu corollam, et humero pariter d. clavam gerit, laeva rupi innititur. In area ante pedes monogramma ex M, et parvo C. Ær. 3.

Vrbs Cretae mediterranea Gortynae proxima antiquitate celebris, sed quae nunc excisa jacet. Hoc nummulo Herculis quoque cultum apud eam Vrbem viguisse ostenditur.

EPIDAVRVS ARGOLIDIS

ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ Caput Æsculapii laureatum.
ΑC
ΚΛΗ
ΠΕΙ
Α in medio coronae laureae. Ær. 3.

In eo, quem ex Mus. Savorgnan. edidit, et illustravit Eckhel. Num. V. p. 137 additur in adversa parte ΙΕΡΑC, quo titulo caret hic meus. Dubia quae excitat Cl. Neumann. Pop. Parte II, p. 218 de recta lectione nummi Eckheliani, quo ad nomen Vrbis ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ ob alterum fere similem, qui apud Hunter Tab. LXI. n. 14. ad Tyrum Vrb. refertur, ex hoc meo plane evanescunt, in quo perspicue legitur ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ. Hinc emendandus iconismus nummi Hunteriani, quem sine dubio vitiatum fuisse oportuit, et a Combio haud recte interpretatum; retinenda insuper lectio ab Eckhelio proposita, quae ab hoc nostro mirifice confirmatur. Festa, quae ab hac Peloponnesi Vrbe illustri in Æsculapii honorem celebrabantur μεγαλασκλήπεια dicta, de quibus plura vide apud Meursium, et laudatum Eckhelium.

EPIPHANEA SYRIAE

Caput femineum laureatum cum stola ad pectus.
ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ ΘΝΡ Mulier stolata cum parvo tutulo in vertice, d. pateram, s. cornucopiae. Ær. 3. Tab. VI. num. 23.

Bini hactenus hujus Vrbis editi erant apud Pellerin. et Hunter cum not. ΓΞΡ, ΕΞΡ, quibus jam addendus hic noster, tum quartus denique nuperrime editus typis Berolinens. ex Museo Knobelsdorffiano a Cl. Sestinio Let.

T. VI. p. 77. cum not. HOP. Sive fabricam, et metallum inspiciamus, sive affinitatem typorum, et epochae cum nummis caeterarum Vrbium Syriae, ac praesertim Apameae, ut jam ab Eckhelio animadversum, de Epiphanea Ciliciae in hoc, caeterisque tribus non est cogitandum. Insuper non alia, quam Seleucidarum epocha in his agnoscenda, ea etiam de causa, quod singuli literis quadratis inscribantur, postremus autem Sestinii, si Pompejanam epocham contineret, notae in suprema Trajani tempora inciderent, cum jam literae sinuatae formae adhiberentur. Æram Pompejanam in usum recepit haec Vrbs sub Romanis Principibus, de qua vide in lib. n. de Epoch. Annus ΘNP in nostro caeteris omnibus anterior, atque ad Demetrii II Regis tempora referendus, quod nihil obstare, vel uno Apameae exemplo patet, in cujus nummis occurrunt notae ΞP, et ΓΞP sub eodem Demetrio II Syriae Rege, cum illa non aliam, quam Seleucidarum Epocham adhibuerit.

EPYTHRAE IONIAE

Caput Herculis barbatum ad s. corona ex vitis frondibus contexta ornatum.

ΕΡΥ
ΠΟΣΕΙΔΩ
ΝΙΟΣ ΗΡΑ
ΚΛΕΟΥ ΤΟΥ
ΕΠΙΚΟΥ
ΡΟΥ Aream occupat. Dupl. Ær. 3. Tab. VI n. 24.

Convenit jam inter Numismaticos, quod nummi cum epigraphe ΕΡΥΘ ad Vrbem Euboeae sint referendi, qui vero constanter tres tantum habent lit. ΕΡΥ ad Erythras Joniae spectent, ea potissimum de causa, quod haec altera longe celebrior fuerit, magnamque pecuniae suae copiam effuderit, in qua perpetuo Herculis effigiem, vel symbola inscul-

pta refert. Teste autem Pausania haec Vrbs in Peninsula e regione Chii posita Herculis simulacrum e Phoenice advectum pro praecipuo suae Vrbis tutelari numine habebat, eique nobile templum dicaverat. Accedunt denique nummi concordiam referentes inter proximam Chium, atque Erythras cum iisdem Herculis symbolis, quae in caeteris, qui sunt ingenti numero apud Sestinium praesertim, et in Catalogo Cusyneriano a me inspecto, additis in unoquoque variis magistratuum nominibus. Iste raro exemplo, non modo patris, sed etiam avi mentionem facit. Nomen Herculis familiare Erythraeis; ut in hoc altero ΕΡΥ ΔΕΙΝΟΜΕΝΗΣ ΗΡΑΚΛΕΟΥ.

Caput Herculis, ut in superiori.

ΕΡΥ ΕΞΕΤΑΣΤΕΝΩΝ. Clava, et pharetra cum arcu. Ær. min. Tab VII n. 25. Elegantioris est fabricae, nomenque magistratus minutissimis literis exaratum. In iconismo nomen corrige, ut supra.

Caput Herculis, ut in praecedenti.

ЄΡΥ
ΑΜΥΜΩ
ΕΡΜΟΤΡΕ
ΦΟΥ In area. Ær. 3.

Alii duo similes. Ær. 3.

Supplenda ex his descriptio ejusdem nummi apud Hunter p. 140 n. 9, et in iconismo Tab. XXVII. fig. 2.

ETENNA PAMPHYLIAE

Mulier stolata stans ad d. serpentem ante faciem in se ipso circumvolutum, et ore hiante pascere videtur. Retro in area diota parva transversa. Ær. min.

ΕΤ intermedia securi, sive brevi falce. Ær. min. Tab. VII n. 26.

Aa

Scribitur hujus Vrbis nomen ET, et ETEN. Vide Pellerinium Pop. II. Tab. LXXI fig. 2, et 3. Quo duce propterea merito hujusmodi nummi ad Etennam referendi. Quam lectionem confirmat nummus Getae apud eundem cum integra voce ЄΤЄΝΝЄΩΝ Pop. III p. 222. Etennenses in montana regione Pisidiae supra Siden collocantur apud Polybium, sed loco ETENNEIΣ, alii legunt ENETENEIΣ. Concilium vero Ephesin. III meminit *Etenorum* Pamphyliae. Differt ab iis Pellerinii, qui soli hactenus innotescunt. Adversae partis figura pro Hygia accipi posse videtur; falcati vero ensis similitudinem quandam offert nummus apud Sinopem Paphlagoniae editus cum capite Persei in adversa apud Eckhel. N. V. Tab. XI fig. 6; tum alii Amisi, Amastriae etc. apud Pellerin. Hunter etc. qui tamen, etsi singuli Persei expeditionem adversus Medusam contineant, quo ad ensis, vel harpae formam inter se differunt.

EPHESVS IONIAE

Caput Dianae cum pharetra.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ

ΚΩ Κ..

Ε .Φ.

ΣΩΠ ... Fax erecta ardens inter duos cervos. Ær. 2.

Similis editus apud Pellerin. Popul T. II Tab. LV n. 6, in quo tamen ΔΗΜΗΤΡΙΕΣ loco ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ, errore, ut puto, Artificis. Recte apud Hunter. Caetera ex utroque supplenda hoc pacto

ΚΩΚΟΣ

Ε Φ

ΣΩΠΑΤΡΟΣ

De Diana, quando accipiebatur pro Hecate, et ejus sacra cum lampadum gestatione agebantur, vide Eckhel.

EVCARPIA PHRYGIAE

Caput juvenile pileo phrygio tectum.
ΕVΚΑΡ
ΠΙΤΙΚΟV
ΑΠΦΙΑ
ΕΡΗΑ In area inscriptum. Ær. min. Tab. VII fig. 27.

Nitidae sunt literae inscriptionis, nec aliter legendum videtur. Autonomi hactenus editi, qui sunt ab hoc diversi, sinuatis literis constant, iste, qui quadratis anteriorem caeteris aetatem indicat. *Piticus*, qui magistratum gerebat, a muliere fortasse ortum suum ducebat, quae parem dignitatem, et ipsa gesserat, cujus nomen sequentibus duabus lineis exprimendum curaverit. Habemus in editis ejusdem Vrbis nummis ЄΠΙ ΝЄ ΠЄΔΙΑC CЄΚΟVΝΔΗC. Dei Mensis cultus, cujus imago in anteriori parte expressa, maxime vigebat, tum in universa Phrygia, cum in Eucarpia, quae proprie ad Phrygiam magnam pertinebat.

EVRYDICEA

Caput femineum velatum.
ΕVΡΥΔΙΚΕΩΝ Tripus. Ær. 3. Tab. VII n. 28.

Adhuc in obscuro versamur cui provinciae adscribenda sit Eurydicea, de qua altum apud veteres Scriptores silentium. Vnicus est typus a Pellerinio, aliisque jam vulgatus. Sestinius omnium postremus similem inter Thessaliae ruinas inventum testatur, eique propterea tribuendum censet. Addit si ab aliqua Eurydice nomen ei inditum, extitisse ejus nominis Amintae II Macedoniae Regis uxorem. Denique similem imaginem velatam in Vrbe quoque Pelinna ejusdem Thessaliae haberi. Quae quamquam ali-

quo in pretio habendae sint conjecturae, rem tamen, ut ajunt, non ultra teli jactum ponunt. Nam neque principii loco statui potest nummos ibi natos fuisse, ubi fuerint reperti. Similem praeterea imaginem velatam offerunt nummi in aliis regionibus editi, ut Thraciae, Maesiae, Syriae etc. quemadmodum etiam extra Macedoniam aliae extitere Eurydices Regibus conjunctae, a quibus nomen Vrbis sumi potuerit. Expectanda igitur uberiora monumenta, ex quibus certo definiri queat locus, in quo haec Vrbs constituenda sit.

FALERIA ETRVRIAE

Pars anterior deleta.

F A Juppiter nudus d. elata aquilam, s. fulmen intorquet. In area ad pedem d. Jovis signum ⊠. Ær. 3. Ex Mus. Mellingen.

Pertinet nummus ad Faleriam, quae et Falisca dicitur, in Etruria ad Tiberim posita. Aversa pars similis fere alteri, quam exhibet Pellerin. Pop. T. I. Tab. X. n. 3, in qua tamen in area cernuntur lit. HP Σ, quas Erudit. Vir explicandas suspicatur de *Heraclea-Sintica*, et lit. F A de magistratu. Diversum in hoc nostro monogramma, ejus conjecturam excludit. Quidquid vero statuendum sit de integra voce FALEIΩN, de qua vide sub Vrbe Alea diversas Numismaticorum opiniones, hic noster fabricam, domumque Etruscam redolet.

FRENTANI

FƎIЯTИƎЯꟻ, idest FRENTREI retrograde scriptum. Caput Mercurii cum petaso in capite.

Pegasus saliens, et infra pedes tripus. Ær. 3. Tab. VII num. 29.

Ex integra epigraphe hujus nummi suppletur alter, qui solus Eckhelio innotuit, et describitur sub Pentris Samnii, sub Larino, tum in incertis Campaniae. In eo primae binae literae ɑ8 desiderantur. Emendandus deinde Cl. Lautius, qui eum nummum Pentris adscribendum censebat; pertinet enim ad Frentanos, ut ipsa docet inscriptio. Secunda lit. ɑ eadem quae antepenultima, quae tamen diverso modo, et forma conspicitur apud Eckhel. hoc pacto Δ. Literam D pro R accipiendam esse docent nummi Larinorum, et Beneventi. Similes editi apud Sestinium Epist. T. V. p. XXXIII hujus nostri lectionem mirifice confirmant, nisi quod ultima litera in illis scribitur R, cum in nostro clarissime sit charactere Samnitico ꟼ. Hujus literae formam, omissa tamen lineola, offert alter fere similis nummus apud Khell. Appendic. II Tab. IV. n. 1, cujus interpretationem aliis supplendam reliquit. Habet itaque ex dictis quibus populis sit ille adscribendus.

GADES HISPANIAE BAETICAE

Caput adversum Herculis leonis exuviis tectum.

Duo pisces dex. respiciunt, infra lit. incognitae. Ær. 3.

Vrbs a Phoeniciis condita in freto Gaditano, quondam libera, et opibus abundans. In similibus apud Cl. Florez unus tantum piscis conspicitur, sed vide Dutens Tab. II.

G A L L I A

ATEVLA Caput juvenile ad s respiciens arcum ante pectus transversum, porrectumque in hum. sinistrum d. manu retinet.

VLATOS Chimaera erecto capite, et cornu in fronte prominente stat. Superne ᔕ, intra pedes pentagonum. Arg. 3.

Satis jam constat hujusmodi nummulos arg. non ad Attilam Hunnorum Regem, sed ad veterem Galliae monetam esse referendos, et utroque nomine illustres quosdam viros designari, praesertim in anteriori parte, in qua imago thorace protecta arcum gestare mihi videtur. Vide Eckhel.

GAVLVS MELITAE INSVLAE ADIACENS

Caput muliebre intra lunam bicornem.

ΓΑVΛΕΩΝ Miles stans s. clypeum, d. hastam intorquet. In area cancer marinus. Ær. 3.

Editi habent ΓΑVΛΙΤΩΝ. Gaulus Insula Melitae proxima, quae ex symbolo addito eo piscium genere abundasse dicenda est.

GELAS SICILIAE

ΓΕΛΑΣ Dimidius Bos humana facie.

Figura in bigis supervolitante victoria cum corona. Arg. 2.

Gela quondam inter illustres Siciliae Vrbes, nunc quo loco proprie sita esset in incerto versatur. Flumine Gela alluebatur, a quo nomen sortita, Virgilio canente:

Immanisque Gela, fluvii cognomine dicta.

Spica, quae in aliis bene multis ejus Vrbis nummis visitur, fertilitatem soli clare indicat.

GORTYNA CRETAE

Caput Dianae pluribus margaritarum ordinibus spectabile, et cum pharetra ad humeros.

ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ Taurus stans, retroque respiciens. Ær. 2. Tab. VII n. 30.

In simili apud Pellerin. P. III Tab. XCVII n. 13, caret Diana hoc margaritarum ornatu. Gortyna Cretae Vrbs mediterranea illustris.

Virgo ramosae arboris trunco insidens, cui non longe assidet aquila, seseque mutuo respiciunt.

ΓΟΡΤΥ

ΝΙΩΝ Taurus stans capite retrorsum converso. Ær. 2.

Caput Jovis laureatum.

ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ lit. orizontalibus in area. Pallas galeata stans, d. serpentem, s. hastam, ad imos pedes clypeus. Ær. 2.

ZACYNTHVS INSVLA CEPHALLENIAE

Caput Apollinis laureatum.

Ζ Α Tripus. Omnia in laurea. Ær. 3.

ΞΑ. Caput Apollinis laureatum.

G. SOSIVS. COS DESIG Tripus. Duplex Ær. 3. Tab. VII. n. 31.

Ex primo integerrimo nummo a Sestinio ex meis scriniis edito emendandus Eckhelius, qui D. N. T. V. p. 314. similem alterum ex Museo Cl. Viri Ascanii Molin Patricii Veneti, mihique dudum amicitia conjuncti describens, in adversa parte sibi videre visus est, *Caput juvenile forte Bacchi*, a quo etiam aberant initiales literae, quod detritum, ac vetustate male habitum nummum arguit. Prima litera non est Σ graecum, sed ad similitudinem lit. Ξ accedit, ut in schemate, quae litera in aliis hujus Insulae, bene multis conspicitur. Vide apud laud. Sestinium Descript. N. V. pag. 201, ubi nomen hujus Vrbis fere semper scribitur sic ΞΑ. Itaque nullus dubitationi locus superesse potest, quin eximius iste nummus ad Zacynthum Cephalleniae Insulam Elidi oppositam, sive ad Vrbem ejusdem nominis spectet. Rem ita se habere confirmant symbola u-

triusque partis, quae ad Apollinem referenda, cujus templum Zacynthi extitisse memorat Plutarchus in Dione, illud addens: Dionem Syracusarum patria extorrem, ante quam bellum adversus Dionysium juniorem susciperet, splendidum in eo templo sacrificium adornasse. Nummi etiam fabrica, et locus unde advectus cum caeteris in idem conspirant. C. Sosium C. F, qui Marci Antonii Q. fuerat, quique post captam Vrbem Hierosolymam, et Herodi M. traditam, anno V. C. Varr. DCCXVII, atque Procos. ex Judaea triumphaverat anno V. C. Varr. DCCXX. III NON Septembr. Consulem processisse cum Cn. Domitio anno V. C. Varr. DCCXXII ex Fastis constat, ut probatum est in lib. n. de Vulg. Ærae Emend. pag. 47. Hinc habemus hunc nummum ante Kalend. Januarias hujus anni signatum fuisse. Ex utroque autem patet Caji praenomen per lit. G scribendum esse.

ZA Caput Jovis cum barba rigenti v. d.

G SOSIVS COS. Tridens, cui advolvitur delphinus. Ær. 3. Tab. VII. n. 32.

In superiori nummo apud Zacynthum Insulam in ejusdem C. Sosii memoriam edito vidimus de eo Consule tantum designato mentionem fieri. In hoc eximio, qui nunc primum innotescit, idem Sosius consulari dignitate jam auctus describitur, quod argumento est nummum percussum fuisse post Kalend. Januarias anni V. C. Varr. DCCXXII, quibus revera Sosius consulatum iniit una cum Domitio Aenobarbo, ut in praecedenti adnotatum est. Typus aversae partis optime convenit Zacyntho Insulae, cui hunc quoque ex iis partibus advectum assignandum esse non dubium. In iconismo omissum est Vrbis nomen, quod pone caput Jovis positum in marginem fugiat, ac revera prima litera Z dimidiata tantum superest. Asserere autem oportet Zacynthum maximis ab eo beneficiis auctam fuis-

se, quoniam moneta publica praecipuos ejus honoris gradus aeternitati commendare minime praetermisit.

Caput Dianae.

ZA Pharetra, e qua emergit spiculum, loris adjectis, quibus humeris Dianae venatricis aptabatur: omnia intra lauream. Ær. min.

Hoc nummulo non modo Jovis, et Apollinis, sed et Dianae cultum apud Zacynthum viguisse clare infertur.

HERACLEA IONIAE AD LATMVM MONTEM

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum.

HPA Pegasus volans. Ær. min. Tab. VII. n. 33.

Similem nummulum Sestin. Epist. T. IV. p. 118 Cariae adscribit, in lib. vero Descript. Num. Vet. p. 338 inter eos Joniae recenset sub n. 18, atque huic potius tribuendus videtur ob similia exempla ibidem videnda.

HRACLEA LVCANIAE

Caput Palladis galeatum v. d. pone clypeus oblongus cum manubrio.

FHPA

ΚΛΕ ΙΩΝ Hercules nudus stans d. pateram, quae inscriptionem secat, s. leonis exuvias. Ær. 3.

Ex aspirata F, quae praemittitur Vrbis nomini, certe consequitur hosce nummos ad Lucaniam pertinere. Similem vide apud Hunter Tab. 29. fig. XXX, dempto clypeo pone caput Palladis. De aspirata initio posita vide exempla in nummis etiam Tarentinorum, aliisque Lucaniae monumentis apud Mazochium Tab. Heracl., et apud Eckhel. D. N. V.

Caput Herois adversum galea tectum, et ad sin. hum. hastam militarem cuspidatam gestat.

ΗΡΑ

ΚΛΕΙΩΝ Tropaeum erectum. Ær. min.

Similem delineatum exhibet Magnanius Miscell. T. IV. Tab. XXV. n. 6, sed in anteriori parte nudum caput galeatum exhibetur. In nostro autem capitis tegumentum ad pectus nodo alligatum cernitur, additurque hastile cum manubrio, et cuspide.

Caput Cereris.

ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ Spica. Ær. 2.

Hosce nummos Siciliae adscribit cl. T. M., quod ea in Insula effodiantur. Caeterum, ut recte animadvertit Eckhel. ob fertilitatis typum aeque Lucaniae tribui possent, in cujus numinis typus uterque obvius.

Caput Palladis galeatum anepigraphum.

Hercules nudus, et genibus flexus, utraque manu collum leonis comprimit. Arg. min.

Alius similis, in quo Hercules nudus unico genu flexus, et clavam d. retinens, laeva in os leonis immissa, arreptaque ejus lingua ipsum interficit. Arg. min.

Duplex iste interficiendi leonis modus inter Herculis vires prae caeteris illustris.

HERACLEA MACEDONIAE

Caput Palladis galeatum.

ΗΡΑΚΛΕ

ΩΤΩΝ Clava, et pharetra cum arcu, omnia intra lauream coronam. Ær. 3.

Cum tot fuerint Heracleae Vrbes, difficile est definire utri potius nummus sit adscribendus. Macedoniae tamen deputandum censeo ob symbola; sed in ipsa Macedonia non una erat Heraclea.

Caput Herculis rictu leonis tectum facie juvenili, et imberbi, fabricae admodum barbarae.

ΗΡΑΚ Clava, et arcus. Ær. 2 crass.

Incertum cui provinciae assignandus.

ΗΡΑ

ΚΛΕ Clava.

Lyra Apollinis. Ær. min.

Vide iconismum apud Hunter Tab. XXX. fig. 4.

THESPIAE BOEOTIAE

Caput femineum velatum, et turritum.

ΘΕΣΠΙ

ΕΩΝ Lyra Apollinis: omnia in laurea. Quatuor Ær. 3.

Thespiae Boeotiae ad sinum Corinthiacum ob Cupidinem Praxitelis celebris famae, et nominis.

THESSALI POPVLI

Caput muliebre laureatum.

ΘΕΣΣΑΛΩΝ Pallas galeata gradiens, dependentibus utrimque taeniis ex humeris, d. hastam intorquet, s. clypeum praetendit. In area bina monogrammata ℞ ℍ. Ær. 2.

Caput Jovis laureatum cum rigenti barba.

ΘΕΣΣΑΛΩΝ ΓΟΓΙΑΣ ΘΕ ΜΙ

ΣΤ ΟΓ Pallas galeata, ut in superiori. Tres plumbei similes, atque ex eadem antiqua matrice profecti Tab. VII. n. 34.

Caput Palladis galeatum, superne ΣΕΡΕΚΗ, pone galeam ΙΣΑΓΟ

ΘΕΣ

ΣΑΛΩ.. Equus gradiens. Ær. 3. Tab. VII n. 35.

De Thessalica Palladis chlamyde alis veluti dependentibus vide Eckhelium D. N. V. T. II pag. 133. Thessalorum in re equestri studium veteres summis laudibus celebrant Eorum equi apud Homerum etiam commendatione digni habiti sunt. Magistratuum nomina tam in hoc, quam in superioribus nondum edita, quod sciam.

THESSALONICA MACEDONIAE

Caput femineum conglobatis ad occiput in orbem capillis, sine epigraphe.

ANT

KAI In medio laureae. Ær. 2. Tab. VII n. 37.

ΘЄCCAΛONIKЄωN Caput muliebre praecedenti simillimum.

KABЄIPOC Ejus imago facie juvenili stans habitu brevi cum chlamyde ex humero sin. defluente: d. capricornum, malleum vero sin. gerit. Ær. 2.

ΘЄCCAΛ...... Caput femineum, ut in praecedentibus.

KABЄIPOC Ejus imago barbata, et senili facie stans, d. incudem, s. malleum. Ær. 2.

Similem primo refert Pellerinius Pop. T. III. p. 131, in quo addita vox ΑΓΩΝΟΘΕΣΙΑ. Alterum etiam describit Mel. T. II p. 3 cum eodem capite adversae partis, et epigraphe ΘЄCCAΛONIKЄΩN ЄΛЄVΘЄPIAC. In utroque autem Octaviae Augusti sororis imaginem exhiberi censuit Vir praeclariss. Tres propterea superiores nostros afferendos duxi, ut pateat aliter de ea imagine sentiendum esse. Primo enim cum in tanta nummorum Thessalonicensium copia jam edita, de qua videndus prae caeteris Sestinius Descriptio N. Vet. pag. 116, non ante Neronis tempora parvum ω se conspiciendum praebeat, consequens erit nummum secundo loco a me descriptum cum suprascripta imagine, et ω parvo in voce ΘЄCCAΛONIKЄωN Augusti aetatem

excludere. Secundo cum in hoc ipso nummo Cabiri figura facie juvenili, conspicua sit; in sequenti vero vultu barbato, et senili, jure inferre me posse arbitror ea figura non ipsum Cabirum, sed sub ejus imagine modo Caesares, modo Imperatores ipsos a Thessalonicensibus exhiberi consuevisse. Quod aliis argumentis confirmari facile potest. Nam Nero cum ejus capite laureato in nummo apud laud. Sestin. p. 117 inscribitur N. ΚΑΒΕΙΡΟΣ, quod idem censendum puto de simili nummo, quem Pellerinius delineatum offert Pop. T. I. Tab. XXXI n. 37. De imaginibus M. Aurelii juvenis, et Faustinae jun. tum Gemellorum M. Aurelii jam Imperatoris sub ea CVΡΙΩΝ ΚΑΒΙΡΩΝ nihil attinet dicere, cum sit res notissima apud Numismaticos. In meis duobus Maximini Aug. Cabiri figura in uno est laureata, et paludata, in altero nuda, et facie plane juvenili: ex quo patet in his nummis non modo patrem, sed Maximum quoque Caesarem a Thessalonicensibus exprimi voluisse.

Quae cum ita se habeant, mirifice ex his confirmatur Cl. Eckhelii conjectura, qua Doctr. N. V. T. II. pag. 79 se minime convenire fatetur cum Pellerinio, quod capite muliebri, de quo sermo est, exhibeatur Octavia Augusti soror. Sed putat ex addito titulo ΕΛΕVΘΕΡΙΑΣ caput esse Libertatis, perinde ac in denariis Bruti, et Cassii paulo anteriori tempore, in eoque tractu signatis. Praesertim vero cum Thessalonica esset *liberae conditionis*, ut eam appellat Plinius, ac libenter unaquaeque Vrbs suam jactaret libertatem, ut Amiseni, aliique. In uno Seleucensium ad Calycadnum Pellerinii illud nomen tesserae inscriptum utraque manu sustinet Victoria stans. In meo Gordiani binae Victoriae in clypeo tripodi imposito. Vide etiam quae in nummo ipsius Octaviae a Tejis signato afferuntur.

Caput velatum turritum.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ. Bos pascens. Ær. 3. Tab. VII n. 36.
ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ Caput velatum turritum.

ΚΑΒЄΙΡΟϹ Cabiri figura juvenili facie stans chlamydata, d. capricornum, s. hastam superne in globum desinentem cum parvo cuspide in medio, humero impositam sustinet. Ær. 3.

Ad posteriora tempora post Septimium Sev. referendus videtur hic nummus, et aliquem Caesarem sub Cabiri figura expressum putaverim, ut etiam sub Genio Vrbis, vel Jul. Domnam, vel Mamaeam designari.

THVRIA MESSENIAE

Caput Jovis diadematum.

.. ΚΩΝΥΜΟΣ In area superne ΘΟΥ. Pallas stans, d. hastam, s. clypeum retinens, media in area corona spicea. Ær. 2. Tab. VII n. 38.

In alio simili Caesareo apud Khell., et Eckhel., qui ex fabrica, et scribendi ratione merito Thuriae Messeniae adscribitur, eoque alter Pellerinii suae integritati restituitur, Vrbis nomen literis quatuor constat, in meo, et Hunteri tribus tantum scribitur. Magistratus ex suprascriptis supplendus ΝΙΚΩΝΥΜΟΣ. In caeteris utrique inter se plane conveniunt. Praeter hosce nullos alios ex autonomis hujus Vrbis editos invenio. In nummis Septimii Severi, ejusque familiae eadem Pallas saepe exhibetur, ut praecipue videre licet apud Sestinium Descript. N. Vet. pag. 203, sub eadem Vrbe Thuria Messeniae, quae olim Aepea dicebatur, Strabone teste.

THYATIRA LYDIAE

ΒΟΡЄΙΤΗΝΗ Caput Dianae cum pharetra ad humerum sinistr.

ΘΥΑΤЄΙΡΗΝΩΝ Aquila stans explicatis alis. Ær. 3. Tab. VII n. 39.

Thyatira Lydiae media Pergamum inter, et Sardes. Boritene peculiare Dianae nomen, sub quo a Thyatirenis colebatur, ut Britomartis apud Cretes de eadem Diana, ut Laerbenus de Sole in Vrbe Hierapoli Phrygiae, et alia id genus vocabula, quibus Deorum numina, vel propria Indigenarum lingua, vel etiam barbara, et peregrina quandoque vocabantur. Plura consule apud Eckhel. D. N. T. III. p. 121.

THYRREVM ACARNANIAE

Caput Palladis galeatum.

ΘΥΡΡΕΩΝ Noctua stans. Ær. 3. Tab. VII n. 40.

Thyrreum Vrbs Acarnaniae, cui potius adscribendus hic nummus, quam Thyreae Argolidis, quae per unicum Ρ scribebatur. In altero simili Mus. Savorgnan. addita prope noctuam fax luculenta. Non longe aberat haec Vrbs a Leucade Insula, in qua Vrbs ejusdem nominis imprimis nobilis.

IAETA SICILIAE

Caput juvenile simplici galea tectum, supra quam prominent tres veluti turres, d. respicit.

ΙΑΙΤΙΝΩΝ Miles galeatus, stans d. hastam, s. clypeum retinet in imo ad pedem s. positum. Ær. 3. Tab. VII. n. 41.

In Panormitanorum nummo apud Turremut. Tab. LVII fig. 5. similes veluti turres, sed breviores supra galeam adiectae conspiciuntur. In eo Cl. Vir Martem agnoscit. Elitis iste addendus. Iaeta Siciliae ad Crimissum fluvium sita erat.

HIERAPOLIS PHRYGIAE

ΛΑΙΡΒΗΝΟϹ Caput Solis radiatum.

Aversa facies nummi plana sine epigraphe, et typo. Ær. 2. Tab. VII n. 42.

Ex eorum genere esse videtur hic nummus, qui legionarii vocantur, quique militum hastis affixi ejus Numinis auspicium, et tutelam exprimebant, sub qua bellum gereretur. Vox ΛΑΙΡΒΗΝΟϹ non in duas partes, ut in caeteris nummis hactenus editis cum Hygiae, vel Lupae gemellos lactantis typo secta conspicitur, sed simul junctae literae omnes unicum cognomen designare manifestant. Hinc omnis suspicio removetur ab Haymo proposita parte II. p. 133 de cognomine Βῆλος, tum de epocha, quae sub quatuor primis literis contineatur. Nitidissime praeterea legitur in hoc ipso nummo prima lit. Λ, tum quae sequitur Α, ut varias, discrepantesque ejusdem vocis lectiones excludat, de quibus videndi Sestinius, et Eckhelius. Sunt autem ΑΔΙΡΒΗΝΟϹ, et ΑΛΙΡΒΗΝΟϹ. Non dubium vero, quod ΛΑΙΡΒΗΝΟϹ fuerit apud Hierapolim Phrygiae peculiare Solis cognomen, ut apud eandem Vrbem alterum Apollinis ΑΡΧΗΓЄΤΗϹ, de quibus praeter Haymum, consule laudatos superius Auctores. Ita paulo ante in uno Thyatirenorum sub imagine Dianae scribitur ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ, in aliis Magnesiae Joniae ΛΕVΚΟΦΡVΝΗϹ, in meo anecdoto Antonini Pii Antandriorum ΑΡΤЄΜΙϹ ΑϹΤΥΡΗΝΗ, Coloniae Patrensis LAPHRIA, ut alia sexcenta id genus exempla omittam.

ΛΑΙΡ ΒΗΝΟϹ Caput Solis radiatum.

ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ Hygia tutulata sedens, d. serpentem pascit, pone Telesphorus basi impositus. Ær. 2.

Nummus iste editus ab Haymo, de quo dictum est supra.

ΖΕVΣ ΒΩΤΗΟϹ Caput Jovis laureatum.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ Fluvius decumbens. Ær. 2.

Ex Mus. Petri Burrani.

In Catalogo Hennericiano nummus describitur, in quo ΖΕVϹ ΠΟΤΗΟϹ ΔΙΟΝVϹΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Plura etiam videre licet de Jove Bottiaeo, qui ab Antiochenis colebatur, apud Norisium de Epoch. Syrom. Dissert. III. Vtrum de eodem Jovis titulo mentio sit in singulis hisce nummis, an sint diversi, judicent Eruditi Certe Juppiter Bottiaeus, cui Alexander M. aram dicaverat a patrio loco ita appellatus. Hunc nummum describere placuit, ut pateat apud Hierapolitas Phrygiae non modo *Solem Lerbenum*, sed etiam *Jovem Boteum* in honore habitum fuisse, quamquam de ejus nominis origine minime constet.

ΖΕVϹ ΒΩΤΗΟϹ Caput Jovis laureatum, et promissa barba insigne.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ Figura equestris Amazonis cum bipenni ad humerum sin., et sinuantibus retro vestibus, sive chlamyde. Ær. 3.

Ex Mus. Mellingen.

En alter testis de lectione superioris cum fluvio decumbente, et de cultu Jovis in hac Vrbe sub proprio cognomine.

HIEROPOLIS CILICIAE

Caput muliebre velatum, et turritum, pone monogramma, ut in schemate.

ΙΕΡΟΠΟΛΙΤ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΠVΡΑΜΩ Fluvius medio corpore natans, extensis brachiis ad sin., d. autem aquilam gestat. Ær. 2. Tab. VII n. 43.

Inscriptio ipsa nummi, in qua mentio fit de Pyramo fluvio ostendit Vrbem hanc Ciliciae adscribendam esse, de qua tamen altum apud veteres Scriptores silentium.

ITHACA INSVLA

Caput Vlyssis barba rigenti, et galea hemisphaerica ornatum, fluentibus retro, non sine decore capillis.
IΘA
ϪꟻΩN Gallus stans. Ær. 3. Tab. VII n. 44.

Litera Ϫ quarto loco posita, licet in spatio cum caeteris, ita ut a gentili IΘAKEVC legendum videri possit IΘAKEΩN, quemadmodum a MAZAKA, MAZAKEVΣ, MAZAKEΩN, et similibus; tamen Neumanno teste, qui primus similem nummum edidit Num. Pop. pag. 200, pro monogrammate accipienda, et in nostro insuper subiectum Λ obtusum apparet, ita ut lit. etiam cum lineola superne exprimere potuisse videatur Ϫ. In Catalogo denique Cusineriano idem monogramma sic inscriptum reperio ⱪ, mihique Cl. Auctor, dum hic Romae moraretur, testatus est literam, quae sequitur ꟻ, vim K habere in nummis Kallatiae, aliarumque Vrbium, cujus rei exempla ex nummis praedivitis Musei sui proferebat. Aliqua etiam ex meis suis locis proposita invenies, ut in autonomis Macedoniae cum tridente. Itaque et in nostro legendum IΘAKΩN. Neque id repugnare vetusta etiam docent monumenta. Legitur enim Ὀδυσσεὺς IΘAKOΣ, et ἀπὸ MAZAKΩN, pro MAZAKEΩN etc. Litera vero ꟻ novae formae Catalogo adjicienda erit de Palaeographia lit. graecarum ex nummis, quem dedit Eckhel. D. N. V. T. I. p. 104. De hemisphaerica galeae figura, qua ornatur caput Vlyssis, vide in Vrbe Arimino, ubi plura in hanc rem attulimus. De Ithaca Insula maris Jonii prope Cephalleniam, cujus clarissimum nomen ob genitum Vlyssem nulla unquam aetas conticescet, deque aversae partis typo, vide quae erudite adnotavit Cl. Neumann. cit. superius libro. Non est cur hic singularem nummi praestan-

tiam commendem, quam disces ab eodem praeclaro Auctore.

ILERDA TARRACONENSIS

Caput nudum v. d.

ꟿVΛ+◊X Lupa stans v. d. Ær. 2.

Similis aversa Lupae stantis cum Vrbis nomine ILERDA cernitur quoque in nummo Augusti apud Florez T. II. Tab. XXVIII fig. 5. Ex quo idem Cl. Auctor non immerito infert tres alios cum eadem Lupa, et lit. incognitis, ut supra, ad Ilerdam esse referendos. Inscriptio in nostro similior ei, quam addit idem Florez. Tom. III Tab. LXII, fig. 10, et 11.

ILERCAVONIA HISPANIAE TARR.

MVN HIBERA

IVLIA Navis contracto velo.

ILERCAVONIA. Navis expanso velo cum remige. Ær. 2.

Ilercavonia Hispaniae Tarraconensis ad Iberi fluminis ostia sita erat, ab eoque nomen Iberae, vel Hiberae, nam utrumque scriptum reperitur, sibi sumpsisse manifestum est, ut et Juliae a Julio Caesare Municipii Conditore. Praeclarum alium hujus maritimae Vrbis nummum vide in serie Imperial. sub Agrippa.

ILIVM TROADIS

Caput Palladis galeatum cum aegide ad pectus v. s. In area IΛ I

.. ΛΙЄωΝ Aeneas ad humerum sin. gestans Anchisem, et parvum Iulum dextra regens. Ær. min.

Elegans nummus. Parum dissimilem vide apud Pell. Pop. T. II. Tab. LII. fig. 28.

ISINDVS PAMPHYLIAE

Caput barbatum cum corona ex apio.

ΙΣΙΝ Vir militaris in equo citissime decurrente, respiciens retro, dextram elevat. Infra equum in area serpens reptans. Ær. 3. Tab. VII n. 45.

Tertius hic est ex autonomis, qui hactenus innotescant hujus Vrbis. Bini, quos exhibet Pellerinius, habent caput Dianae cum ejus symbolis. In unico Valeriani ex Imperialibus, quem primus attulit Sestinius Tom. V Epist. Num. p. 28 in aversa parte serpens assurgit ante Hygiam sedentem. Hinc serpens in nostro quoque cultum Æsculapii in Isindo non obscure innuere videtur: ac propterea in anteriori parte caput non Jovis, sed potius Æsculapii agnoscere oportet. Fuerit ne Isindus ista Pamphyliae, an Joniae difficile est definire. Caeteri Pamphyliae tribuuntur, sed ex conjectura. Alterum ex Imperialibus vide in Julia Domna. Hunc nostrum eundem esse puto, quem Arigonius sub ΙΣΙΝΩΝ delineatum exhibet Tab. XII Vrb. liber. fig. 115.

ISSA INSVLA HADRIATICI

Caput Palladis galeatum.

ΙΣ Caper stans. Duplex Ær. 2. Tab. VII n. 46.

Caput Palladis galeatum.

ΙΣ Cerva gradiens elato d. anteriori pede. Ær. 3.

Caeteris anteponenda Cl. Eckhelii conjectura, qui hosce nummos non Istiaeae, aut Ischiae cum Pellerinio, Arigonio, aliisque, sed Issae maris Hadriatici Insulae non ignobili juxta Illyricum adscribendos docet, idque potissimum

ex capri typo, quo animalium genere Issa Civium Romanorum a Plinio celebrata lib. III cap. 30, ut omittam Tragurium ab Issensibus conditum teste Strabone, a graeco τράγος, quod significat caper, derivatum, clare satis innuere eas regiones maxime capris abundasse, atque ob id Issam illud pro symbolo sibi sumpsisse. Vid. Eckhel. in Num. Vet. et D. N. V.

HISTIAEA EVBOEAE

Caput Bacchae uvae racemis ornatum.

ΙΣΤΙΑ Mulier prorae navis insidens, s. velum explicatum retinet. Arg. min.

Histiaea Vrbs Euboeae. Nummum explicat Homerus Iliad. B v. 537, ejusque Commentator Eusthatius. Primus enim vocat πολυστάφυλον θ' ἱστίαιαν *uvis abundantem Histiaeam*; alter vero subdit: Histiaea vetus Heroina Hyrici filia, a qua Vrbs nomen accepit. Integra epigraphe in nostro est ΙΣΤΙΑ, ut supra: in caeteris editis legitur ΙΣΤΙ, vel ΙΣΤΙΑΕΩΝ.

ISTRYS MOESIAE INFER.

Capita duo juvenilia in oppositas partes spectantia.

ΙΣΤΡΙΗ Aquila piscem arreptum tenens. Ær. 3.

Istrus Moesiae inferioris ad Pontum Euxinum, Istri quondam ostio proxima, a quo nomen sortita. De duplici capite non una est Eruditorum sententia: mihi magis arridet ea Begeri, qui illa ad Vrbis situm refert, quo scilicet Europa, et Asia terminabatnr, quod non inepte capita ipsa indicare videntur. Dioscuri enim nunquam eo pacto exprimi consueverunt, quae est Cl. de Wise opinio; denique ut de ea Vossii dicam, capita fluminis Istri, sive mea-

tus, quibus ille in mare Euxinum, et Hadriaticum exonerari credebatur, in contrariam partem minime ferebantur.

CAMARINA SICILIAE

ΚΑΜΑΡΙΝΑΙΟΝ Caput Herculis rictu leonis tectum.

Vir in citatis equorum quadrigis a supervolitante Victoria coronatur. In imo cycnus. Arg. 1.

Camarina inter celebriores quondam Siciliae Vrbes: modo tamen vix ejus rudera supersunt. Praeclaras artes in ea maxime floruisse nummi praesertim argentei adhuc testantur.

CANVSIVM APVLIAE

Caput Herois juvenile nudum v. s. facie decora.

ΚΑΝ.... Eques galeatus hastam intorquet, equo citato cursu decurrente v. d. Ær. 3.

Margine deficiente reliquae inscriptionis literae desiderantur, sed supplere oportet ΚΑΝΥΣΙΝΩΝ, ut in simili apud Magnan. Miscell. T. IV. Tab. 18. Eques in nostro nudus est. Canusium Apuliae Peucetiae Vrbs in colle prope Aufidum fluvium non longe a Cannis cruenta Annibalis de Romanis victoria nobilitata. Confirmare hic potest alterius fidem, quem unicum memorat Eckhelius D. N. V. T. I. p. 141. cui etiam adjungendus alter cum integra epigraphe ex Mus. Mellingen, ut ipse Cl. Vir mihi testatus est se eum possidere.

CAPVA CAMPANIAE

Caput Jovis laureatum, pone globulus.

𐌖𐌐𐌀𐌊 Victoria alata trophaeo erecto coronam imponit. In area ad latus trophaei cancer marinus. Ær. 2.

Capita jugata Jovis, et Junonis, illud quidem laureatum, et barbatum, Junonis vero diademate, et mitella in fronte ornatum sine epigraphe.

Juppiter seminudus in quadrigis s. sceptrum oblongum, dex. fulmen vibraturus. Ær. m. m. Vide illum in fronte hujus libri Popul., et Vrbium.

Quamvis praeclarum hoc numisma sit anepigraphum, quod mallei vitio factum arbitror, cum etiam totus aversae partis typus leviter tantum impressus conspiciatur, non dubium tamen, quin ad Capuam Vrbem sit referendum. Simile enim cum nomine Vrbis, ut in praecedenti editum habemus a Cl. Daniele Auctore Libri, cui titulus *Monete antiche di Capua* n. XIII. Ab eo autem dissentiendum mihi, quod in capite femineo Dianae imaginem agnoscat. In tot enim, tantisque ejus exemplis, quae offerunt numismata, nunquam, vel fere nunquam desiderantur aliqua ejus Deae peculiaria signa, ut arcus, vel pharetra, vel luna bicornis, et similia, quin unquam addatur ejus capiti diadema. Istud ornamenti genus tanquam proprium habetur Junonis, quod Jovis esset soror, et conjux, ut pavo erat ejusdem peculiare symbolum, quod ejus figuris ad pedes adiici solet in nummis, in quibus tam saepe insculpta occurrit. Quo ad diadema vero praeter signa, et statuas, vide nummos Neronis Ægyptios cum Junonis Argivae imagine. Hujus numismatis praestantia elucet, quod praeter imaginum elegantiam, et artificium, in simili ponderis genere cum edito, iste contineat grana 1164, ille non nisi gr. 917. In mea vetusta magnae molis Onyche eadem plane Junonis imago egregiae insculpta. Capua Vrbs olim Campaniae primaria, quae soli fertilitate, ut notum est, aliisque illecebris Annibalem adeo illexit, ut *tanta luxuries*, inquit Cicero, *ipsum corruperit*, et ab Vrbis eversione abstraxerit.

CATANA SICILIAE

Fluvii recumbentis figura, quae sin. cubito urnae innititur, d. cornucopiae gerit.

ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ Dioscurorum pilei cum astris, inter quos Σ, et supra omicron, et noctua insidens. Ær. 3.

Confirmat iste lectionem monogrammatis apud Eckhel. cum in caeteris editis simplex Σ magnum exhibeatur.

Catana Vrbs Siciliae ad Aetnae littus orientale sita, opulentia, et splendore maxime claruit, et modo etiam summopere floret.

CIBYRA PHRYGIAE

ΙЄΡΑ CVΝΚΛΗΤΟC Caput juvenile Senatus.

ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ Deus Lunus, sive Mensis stans cum attributis, d. globum. Ær. 3.

Vide apud Hunter Tab XVIII. fig. 10.

Cibyra Phrygiae magna a Strabone appellata, ut ab ea distingueretur, quae in Pamphylia sita erat, quae parva dicebatur. Ad eam conveniebant adiacentium Civitatum XXV Legati ad ea definienda, quae ad publicam utilitatem pertinerent. Hinc maxime populosa haec Civitas, ubi quadruplex linguarum genus adhibebatur a diversis populis, qui eandem incolebant. Diu speciem, ac formam quandam habuit Reipublicae, sed deinde a Tyrannis subacta sub eorum extitit dominatione. Inter eos Moagetes nummos signavit, qui adhuc supersunt. Plura si libet, vide apud Bellejum.

CLEONE ARGOLIDIS

Caput Apollinis laureatum ad. d.

ΚΛΕ Lupus stans d. respicit, superne ΚΑ. Ær. 3.

Haud temere hunc nummulum Cleoni Argolidis Vrbi, quaeque ab Argo non longe aberat adscribendum censeo ob utriusque partis symbola. Ad rem enim narrat Pausanias: Apollini nomine *Lycio* nobilissimum Argis templum ea occasione erectum fuisse, qua apud Argos, Danao, et Gelanore de regno disceptantibus, ob idque instituto inter lupum, et taurum certamine, cum ex eo lupus victor discessisset, Argivi ex pactione regnum Danao detulissent. *Vnde ajunt*, verba sunt Scholiastis ad Socratis Electram, *monetae Argivorum insculptos lupos, ut Atheniensi noctua*. Vnicus hactenus editus a Pellerinio, sed cum diverso utrinque typo. Argos quoque Argolidis primaria in suis drachmis dimidium lupum signavit, in iisque hinc inde in area, modo unam, modo plures literas adiecit, ut iu nostro.

CNIDVS CARIAE

Caput Palladis laur. ad. d.

ΚΝΙΔΙΩΝ ΕΥΚ... Victoria gradiens. Ær. 3.

Peninsulae Doridis Vrbs maxime celebris ob Venerem Praxitelis opus, et ob vini praestantiam, de qua Plinius, et Strabo.

CNOSSVS CRETAE

Europa tauro vecta supra caput expanso velo, et infra in area delphini duo.

ΚΝ ΩΣ.. ΩΝ Labyrinthus quadratus, et astrum inter duas priores literas Κ Ν. Ær. 3. Tab. VII n. 47.

Alius similis, sed Ær. min.

Vt Cnossi proprius est typus labyrinthus, ita Gortynae Europae raptus, vel in arbore sedentis cum aquila, vel a tauro vectae. In hisce duobus nummulis utriusque Vrbis typorum conjunctio. Vrbs haec mediterranea extitit Mi-

nois regia, cujus jussu a Daedalo labyrinthus miro artificio extructus, in quo tamen ipse auctor fuit cum Minotauro inclusus. Cnossum, Gortynam, et Cydoniam Strabo inter ampliores, atque illustriores Cretae Vrbes recenset.

Astrum universam nummi aream complectitur. Labyrinthus. Ær. min.

Etiam sine epigraphe non dubium, quin nummus iste ad Cnossum ob Minois Regis labyrinthum sit referendus, de quo supra dictum est.

Caput Jovis laureatum anepigraphum.

ꟻNΩ
Σ I
ΩN Labyrinthus quadratus. Ær. 2.

Nummos hujus Vrbis cum capite Jovis simili praecedenti, et typo Aquilae in aversa parte, in quibus legitur ΚVΔΑΣ, vel ΑΡΙΣΤΙΩΝ omitto, quod jam recte ab Eckhelio explicatos, suppletosque invenies, ut etiam alterum cum capite Dianae, et pharetrae symbolo, in quo integre legitur ΘΑΡΣΥΔΙΚΑΣ, addita tamen in meo infra lit. Α. Verum ubi laud. Eckhel. in altero simili legit ΑVΡΙΑΔΑΒ, apud Pellerin. autem scribitur Α
ΡΙ Λ
Δ Λ
Α

In meo integra lectio haec est Τ
probatque in praecedentibus literas Α Υ
aliquas evanuisse. Mira autem ΡΙ Α
in his scribendi confusio, quae Δ
incertum insuper sensum efficit. Α ⊢

Hisce jam addendum nomen alterum ut puto anecdotum.

Caput Jovis laureatum.

ΑΣΠ
Α
Σ

Aquila expansis alis sceptro insistit. Ær. 2.

Carent singuli recensiti nummi Vrbis nomine ΚΝΩΣΙΩΝ. Sed jam nemo dubitat eosdem ad hanc Vrbem spectare, adiectis autem nominibus magistratum designari.

COLOPHON IONIAE

Caput Apollinis.

ΚΟ in imo, et in ambitu ΚΟΝΝΙΣ. Equus dimidius. Ær. min.

Pellerin. habet in simili P. Tab. LVII n. 31 ΚΟΑ, Sestinius Descript. N. V. p. 325 ΚΟΛΟ. In singulis autem magistratus est diversus, ut etiam apud Hunter.

COMANA PONTI

Caput diademate ornatum.

ΚΟΜΑΝΩΝ Leo gradiens. Ær. 3.

Ex schedis meis.

Cum tres fuerint hujus nominis Vrbes in Asia minori, una in Ponto, altera in Cappadocia, tertia Pisidiae, mihi incertum cui ex tribus provinciis sit iste adscribendus.

COMMAGENE REGIO

Capricornus superne astrum.

Scorpio. Ær. 3.

Quamquam anepigraphus, non dubium tamen, quod ad Commagenem Syriae provinciae aquilonarem spectare dicendus sit. Vide Pellerin., et Hunter.

CORCYRA MAGNA INSVLA

ΑΓΡЄΥC Vir togatus promissa barba stans, d. simplex cornu sine frugibus, s. vestem sustinet.

ΖЄΥC ΚΑCΙΟC Juppiter sedens, d. sceptrum. Duplex Ær. 2. Tab. VIII n. 51.

Alius similis, sed Vir togatus stans in templo distylo, brachio s. vestem involutam, simulque racemum uvae dependentem sustinet. Ær. 2.

De Viro togato plures afferuntur conjecturae. Doctiss. Eckhel. Num. Vet. p. 107 Aristaeum Apollinis, et Cyrenes filium in ea figura agnoscit. Fuit autem pharmaceuticae imprimis peritus, ac mellificii, et olei repertor, atque sub eodem Ἀγρέως nomine a Graecis colebatur. Est etiam Neptuni epitheton apud Lucianum, item Hesychio teste Pan Deus agrestis ab Atheniensibus vocabatur: Ἀγρεὺς, ὁ Πὰν Ἀθηναίοις ὡς Ἀπολλόδωρος. Hinc Sponius Miscell. pag. 76 in hujusmodi nummis Corcyrensibus Deum Pana exhiberi putavit. Primum ex tribus descriptis delineatum edere placuit, ut pateat esse simplex inflexum cornu sine frugibus, quod Agrei figura dex. gerit, de quo etiam fidem faciunt duo subsequentes, in quibus idem cornu clare conspicitur. Laud. Eckhelius, et cum eo Pellerinius nonnisi serpentem agnoverunt, quem ea figura talari veste conspicua d. manu retinet. Mihi quidem in similibus nummis, nunquam serpentis symbolum videre contigit, ac unusquisque facile sibi suaserit, nisi sint hujusmodi nummi plane integri, in iis inflexum cornu pro serpente accipi posse. Cornucopiae quoque sine frugibus viderunt Hunter, et Sestinius. Itaque cum de hoc symbolo nullus dubitandi locus supersit, Numismaticis relinquo, ut ex aliis hujus Vrbis aeque integris nummis, qui in lucem prodeant de serpente judicium ferant. Simile cornu conspicitur in meo

etiam Vrbis Priansi Cretae, quem vide suo inferius loco Tab X. n. 90. De interpretatione figurae ΑΓΡΕΥΣ vide in sequenti.

Caput senile barbatum cum toga ad pectus, eodemque capitis ornatu, ut supra.

ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ Figura facie barbata pantheram inequitans, cui dex blanditur, dum illa facie conversa sibi insidentem respicit. Ær. min. Tab. VIII n. 53.

In autographo expressius, quam in schemate figura pantherae insidens barbata agnoscitur. Ex hoc nummulo non paruum lumen offerri arbitror ad superiores nummos explicandos. Symbola enim, quae in eo continentur dum Bacchum exprimunt, simul etiam indicant eandem figuram, quae in superioribus nummis talari veste induta cum adiecto quoque uvae racemo in tertio conspicitur. Sicut autem nomen ΑΓΡΕΥΣ ab aliis Vrbibus, vel Neptuno, vel Pani Deo inditum vidimus; ita peculiari aliqua ratione a Corcyrensibus tanquam proprio, ac tutelari suae Vrbis numini impositum fuisse admittere aequum est. Bacchum autem singularem apud eos cultum obtinuisse plura declarant: uvae racemus in nummo supra descripto cum figura in templo distylo: idem botrus in aliis pluribus cum diota in aversa parte, quorum ipse quatuor possideo, tum botrus ipse supra vas, in quo magistratus ΘΗΡΑ, ut mox videbimus, idemque symbolum in aliis editis, etiam cum capite Bacchi juvenili, et diota, duplicique botro in aversa in meis, apud Hunter, aliosque: cornu ipsum ministeriis Bacchi apprime conveniens, denique ne plura commemorem nummus apud Eckhelium, et Pellerinium, in quo Bacchus panthera vectus, in posteriori parte Satyrus ex una diota in aliam vinum, vel mustum effundit. De Baccho, qui modo juvenili facie, modo conspicue barbata in ipsis etiam Corcyrensibus nummis depingi solet, necesse non est in re notissima pluribus immorari. Haec itaque non

levi argumento esse posse arbitror ad figuram, nomenque Agrei interpretandum. De quo tamen Eruditorum esto judicium.

K O Botrus supra vas, pampinis ex utraque parte dependentibus.

ΘΗΡΑ Dimidia navis. Ær. 3.

Quod in simili deletae essent lit. KO Pellerinius eum Therae Insulae maris Cretici Metropoli adscribendum censuerat, sed ex integro Musei Gradenici jam animadvertit Eckhel. Corcyrae restituendum esse, quod nummulus iste confirmat.

CROTON BRVTTIORVM

ϘPO Tripus Apollinis. et Ciconia.

ϘPO, et Ciconia, nec non binae metae, sive columnae in parallelogrammo incuso. Excepto parallelogrammo, caetera omnia exsculpta in utraque parte, et epigraphe quidem cum Ciconia in oppositam expressa conspiciuntur. Arg. 2. Tab. XIII. n. 54.

Diversus aliquanto est hic nummus ab iis, quos hactenus mihi videre licuit. Croton Bruttiorum Vrbs nobilissima ad mare Jonium sita Myscelli Achaei opus. Caeterum de lit. Ϙ *Koph* Phoenicia, quae Graecis *Koppa*, quaeque antiquitus in Graecia, et a Syracusanis etiam Siciliae adhibita, antequam lit. K ejus loco in usum reciperetur; de nummis praeterea hoc pacto, partim incusis, partim prominentibus, atque ex duplici matrice signatis, videndi prae caeteris Barthelemyus, et Eckhel. in praemissis ad Lucaniam. De cultu Apollinis apud Crotoniatas res est testatissima, ut nummi quoque tanta copia confirmant.

ϘPO Tripus, et in area ad s. Ciconia stans.

Tripus idem, neutra pars tamen incusa. Arg. 2.

ΑΙΣΑΡΟΣ Caput imberbe fluentibus retro capillis, brevibusque in vertice assurgentibus cornibus.

ΚΡΟΤΩ

ΝΙΑΤΑΝ Fulmen supereminente astro. Ær. 3. Tab. VIII. num 55.

In pretio nummulus iste habendus, quod amnis *Aesari* figuram, et nomen nunc primum exhibeat. Quodque notandum, nomen ΑΙΣΑΡΟΣ scribitur circa caput juvenile, ne ambigas eodem fluvium designari, quo haec Vrbs Croton alluebatur, Mirifice autem confirmat Eckhelii argumenta, quibus in Campaniae Prolegomenis probat non in Minotauri figura, sed in effigie Viri, vel feminae a Siculis, aliisque Vrbibus exprimi consuevisse amnes, vel flumina, quibus illae alluebantur. Vide quae diximus in Vrbe Agrigento. Forte in isto brevissima adiiciuntur cornua, quod leniter flueret, portumque efficeret. De Aesaro amne videndus Strabo lib. VI, ubi plura de hujus Vrbis salubritate, potentia, rebusque bellicis, atque athleticis commemorat: Πρώτη, inquit: δ' ἐστὶ Κρότων ἐν ἑκατὸν, καὶ ν σταδίοις ἀπὸ τοῦ λακινίου· καὶ ποταμὸς ΑΙΣΑΡΟΣ, καὶ λιμήν. *Prima est Croton CL stadiis a Lacinio; et amnis Aesarus, et portus*. Ejus etiam Vrbis descriptionem, nec non Laciniae Junonis templi celeberrimi non longe ab ea dissiti, invenies apud Livium lib. XXIV. cap. 3. Dorismus in voce ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ ortum habuit a Myscello Achaeo Conditore, de quo in superiori nummo argenteo mentio facta est. Vide etiam Eckhel. N. Vet. p. 44.

Caput Apollinis laureatum, ac fluente caesarie ad aurem sin., d. respicit.

ΚΡΟ Tripus, et in area ad d. lauri ramus. Arg. 2.

Elegans nummus recentioribus adscribendus, ut indicat lit. K.

Caput Neptuni v. d.

℞ ο Caput bovis superne monogramma ΜΡ. Ær. 3.

In hujusmodi Crotoniatarum nummis non semel Vrbis nomen nexu continetur, ut supra. Similem nexum vide apud Pell. Pop. I. Tab. VIII. n. 22.

Caput Herculis imberbe exuviis leonis tectum.

℞ Canis excubans, pone ramus arboris, sive truncus. Ær. 4. Tab. VIII n. 56.

Ex monogrammate, quo Vrbis nomen continetur sequitur et hunc nummum ad Crotoniatas Bruttiorum referendum esse.

CYDONIA CRETAE

Caput muliebre vitta redimitum.

ΚΥΔΩ Luna bicornis, et in medio astrum cum parvo planeta eidem ad latus sin. proxime adhaerente. Ær. 2.

Cydonia Cretae una ex clarissimis ejus Insulae.

CYZICVS MYSIAE

ΚΟΡΗ CΩΤΕΙΡΑ. Caput Faustinae jun. ut videtur sub Proserpinae imagine corona spicea ornatum.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ Aquila stans rostro coronam. Ær. 3. Tab. VIII. n. 57.

Erat dives agri Cyzicus Vrbs Mysiae ad Propontidem, et Æsapi fluvii ostium, in Insula pene continenti juncta, antiquitate, et splendore celebris. Non iniuria affirmare me posse puto sub Proserpinae imagine Faustinam expressam fuisse. In autographo enim lineamenta ad ejus similitudinem plane accedunt. Nec mirum si hoc factum assentationis ergo, quod a Cyzicenis maximus Proserpinae cultus exhiberetur, quoniam ipsorum Civitas huic Deae a Jove in dotem tradita ferebatur, teste Pausania. Similia exempla vide praesertim in nummis Thessalonicensium imperia-

libus, in quibus saepe Imperatorum, Caesarumque figurae sub Dei Cabiri imagine certis caracteribus designantur.

Caput Proserpinae spicea corona ornatum, sed ad similitudinem Faustinae jun. accedens.

KV
ZIKH In laurea. Ær. min.
NΩN

KVZIKOC Caput juvenile Cyzici diadematum.

KVZIK
HNΩN Bini pisces inter se oppositi. Ær. min. Tab. VIII. n. 58.

CYME AEOLIDIS

Caput femineum crinibus filo revinctis.

KYMAI
ΩN
ΠΤΩΑΣ Equus gradiens altius sublato sinistro anteriori pede. In area vas monotum. Ær. 2.

KY Infra ΔΙΟΝΥCΙΟC Equi dimidii pars anterior. Vas monotum, et monogramma. Ær. 3.

Vrbs Cyme Aeoliae imprimis nobilis autonomorum copia abundat. Ex hoc nummo Eckhelius Doctr. N. T. I pag. 101 plagium Goltzii detegit, qui in simili substituens epigraphen ΚΑΡΑΛΙΤΩΝ ad Caralim Sardiniae Vrbem referebat.

CYRENAICA REGIO

Caput Bacchi Ammonis filii cum modica barba, et cornu arietino.

KY PA Palma arbor, infra in area Silphium, et cancer. Duplex Ær. 3.

Caput barbatum cornu arietino ornatum Jovis Ammonis.
K Silphium, sive Laserpitium. Ær. 2.
Caput imberbe cum cornu arietino v. d.
Γ N
. . N Silphium florescens. Ær. 2.
Caput imberbe cum cornu arietino v. s.
KV PA Silphio florescente intermedio. Ær. 2.

Dempto nummo secundo loco descripto, pertinent reliqui ad Bacchum Jovis Ammonis fil., qui in hisce modo barbatus, modo imberbis depingitur. Vide plures apud Sestinium Descript. N. V. p. 560. Cyrene, quae dialecto Dorica scribitur KVPA, idest KVPANAIΩN: a Thera Insula, ejusque Rege Batto ortum suum ducebat. Strabo de eadem: ἐςι θαιραίων κτίσμα λακωνικῆς νήσυ. Apud Cyrenaicam liberam cultus maximus vigebat Jovis Ammonis, cujus templum a veteribus Scriptoribus memoratum. Hinc jure coniicitur caput juvenile modo leniter barbatum, modo imberbe plane, esse Bacchi Ammonis fil. Vide Eckhel D. N. Vet. T. IV p. 118. Silphio, quod latinis Laserpitium, Cyrene maxime nobilitata, quod nuspiam alibi felicius excresceret: palma quoque arbore, ut in Judaea maxime dives. Literae Γ N
N in tertio clarissime conspicuae sunt, una deficiente ob spatium prope marginem a matrice fugiente omissum. Haec Vrbs olim florentissima, nunc in ruinis jacet.

Caput Apollinis laureatum.
KV
PA Lyra Apollinis intermedia. Ær. 3.
Caput muliebre brevibus quibusdam turribus in capite conspicuis. Ante faciem paruum Silphium in schemate omissum.
ΛΟΛΛΙΟV B Caduceus inter spicam, et papaverem. Ær. 3. Tab. XII n. 141.

Quem affert Morellius, et ex eo Eckhel. in Famil. Lollia n. 4 est mediae formae, et in eo caput juvenile diadematum asseritur. In meo est imago muliebris cum parvis turribus. Ante faciem detersa parumper aerugine sese oculis obtulit parvus truncus cum quatuor ramusculis in flosculum desinentibus ad similitudinem minimi Silphii, quod in prioribus duobus nummis supra descriptis ad arborem palmae in imo adiectum conspicitur. Itaque mihi fas sit hunc Cyrenaicae provinciae Romanae adscribere, quae jam extitit non paucorum opinio. Caput muliebre turritum ob adiectum Silphium Cyrenaicam provinciam, vel Cyrenem Vrbem designare concedendum est. De C. Lollio vide sub Vrbe Paesto.

COS INSVLA AD CARIAM

Caput laureatum, et barbatum Æsculapii.

ΚΩΙΩΝ ΑΡΙΑΓ. Serpens baculo involutus. Ær. 2.

Caput Herculis juvenile adversum leonis exuviis tectum.

ΜΙΝΟΑ ΚΩΙΩΝ Clava, et pharetra. Ær. 3. Tab. VIII. num. 59.

Cos Insula illustris ad Cariam, in qua Vrbs ejusdem nominis, Hippocratis, et Xenophontis Medicorum natalibus maxime commendatur. Hinc in ea Æsculapii cultus; sed et Herculis frequens in ejus moneta facies exhibetur, et symbola.

Caput Apollinis laureatum.

ΚΩΙΩΝ

ΕΥΚΡΑΤ Lyra Apollinis: omnia intra lauream. Ær. 2.

Caput juvenile galeatum v. s.

ΜΙΚΥΛΛΥ scriptum intra arcum, pharetram, et clavam. Ær. 3.

LACEDAIMON LACONIAE

ΦΕΙΔΡΑ Caput Dianae cum pharetra ad humerum sinistrum.

ΛΑ Protome mulieris peculiari cultu, ac crinibus medio capite religatis, pharetram pariter ad humerum sinistrum gestantis: omnia intra coronam. Ær. 1. Tab. VIII n. 60.

Praestantem hunc Lacedaemonum in Laconia nummum edita dissertatione egregie illustravit Cl. Vir mihi, dum vixit, amicitia conjunctus Joseph Muti Papazzurri Casalius, inter Praesules Vrbis omni laude dignissimus, qui dum in vetustis cujuscumque generis monumentis solerter colligendis, iisque docte, eruditeque explicandis versaretur, immatura morte ereptus, magnum sui desiderium reliquit. Ipsius de hoc nummo illustrationem operi suo inseruit Cl. Sestinius, quem adi Descript. Num. Vet. p. 205. In utraque nummi parte Dianam agnoscit, quae sub diversis nominibus apud Spartanos colebatur, quod etiam pharetra utrimque ad humerum sinistrum adjecta clare satis ostendit. De templo Dianae Limnatidis, ejusque causa acta sub Tiberio, tum de Diana Isora, sive Limnaea merito videnda quae ibidem adnotavit ornatiss. Vir. Nomen ΦΕΙΔΡΑ est magistratus proprium.

Caput Apollinis laureatum.

ΛΑ ΕΠΙ ΕΥΡΥΚΛΕΟΣ Dioscuri in equis. Ær. 2.

Praemonuit jam Cl. Eckhel. D. N. T. II. p. 281. Euryclem in hoc nummo memoratum eum ipsum esse, qui Augusti commendatione, et gratia apud suos cives facile princeps evaserat, Strabone teste, sed quae subinde impotenti viro damno extitit, eumque patrium solum vertere coegit. Ejus nomen in nummis etiam Augusti occurrit. Plura de eo vide apud Meursium.

Caput Jovis laureatum.

ΛΑ

ΕΠΙ ΕV

ΡV ΚΛΕ Clava Herculis. Duplex Ær. 3.

ΟΣ

Idem Eurycles, qui supra memoratur.

Protome viri facie juvenili, et capite redimito v. d.

Λ Α, et monogramma in area ad d. ΘΕ, superne Α Aquila stans. Ær. 3.

Alicujus praeclari Viri imaginem referre videtur.

ΛVΧ.... Caput imberbe vitta redimitum.

Λ Α

Ν Ι Caduceus clavae impositus Ær. 2.

Facies similis ei, quam exhibet nummus apud Cl. Neumann. Tom. I. Tab VII n. 6. Sed in nostro legitur, ut supra ΛVΧ cum Υ. Vitio forsan monetarii, vel typariae matricis. De Licha vide eruditam ipsius illustrationem.

.... VΡΤΟϹ Caput barbatum vitta redimitum.

Λ Α

Τ Ι Caduceus clavae infixus: omnia intra lauream. Ær. 2.

Incerta res est utrum imago Lycurgum referat, qui Lacedaemoniis leges conscripsit, an Jovi potius convenire dicenda sit. Fere similem vide apud Hunter. Tab. XXXI. fig. XVII.

ΑΤΡΑΤΙΝΟϹ Caput juvenile nudum.

Λ Α

ΦΙ ΑϢ Aquila stans. Ær. 3.

Alius similis, sed in aversa parte.

Λ Α

ꟹ ϹϢ Ær. 3.

Ex Mus. D Alexii Recupero.

Similem fere primo delineatum exhibet Arigonius Serie I. Imp. n. 1, eumque M. Antonio adscribit, quem se-

quitur Eckhelius Doct. N. Vet. T. II. p. 283. Sed lineamenta vultus in his duobus nihil ad M. Antonium pertinent. Fuit L. Sempronius Atratinus Praefectus Classis M. Antonii, eique in consulatu successit An. V. C. Varr. DCCXX, qui etiam nummos M. Antonio, et Cleopatrae dicavit; quorum adhuc non pauci supersunt. Sed de eo viro in his nummis minime cogitandum. Nam praeter lineamenta, quae imaginem a M. Antonio abjudicant, ut dictum est, literarum C, et ω forma posteriora ab Augusto tempora certo indicat, nummis testibus.

LAODICEA PHRYGIAE

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ Retrograde scriptum. Caput Dei Mensis cum pileo phrygio in medio lunae bicornis.

ΚΟ ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΗΣ Aquila stans. Ær. 3. Tab. VIII. num. 61.

Simillimum exhibet Pellerin. Pop. II Tab. XLVI n. 62, sed in aversa parte praemisso eodem monogrammate legit ΑΙΝΗΛΣ. Oportet eum nummum fuisse detritum; nam cum suprascriptus nexus resolvendus sit, ut in obviis Corcyrae nummis ΚΟΡ, ideoque contineat praenomen magistratus, qui sequitur; non aliter suppleri debet Pellerinianus nummus, quam ut legitur in hoc nostro integerrimo. Idem praenomen, vel cum nexu, vel cum initialibus tantum literis Κ, et ΚΟ eidem Dioscuridi tribuitur in aliis Laodicensium nummis apud Haymum, Parte II. Tab. XXXI, pag. 259, et apud Eckhel. D. N. T. III. p. 163. Hinc etiam omnis conjectura evanescit de epocha, quae postremis lit. ΛΣ contineri queat, de qua mentio est apud laudat. Pellerin., et Eckhelium pag. 166.

ΔΗΜΟϹ ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ ΝЄΩΚΟΡΩΝ Caput juvenile laureatum, cujus imago ad Caracallae similitudinem accedit.

Α ΑΙΛ ΠΙΓ.,. ΤΟϹ ΑϹΙΑΡΧΟΥ Γ. In imo ΛΑΟΔΙ-ΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ Mulier seminuda sedens, ad sin. hasta, ad pedes puerulus, Ær. m. m. Tab. VIII. n. 62.

Peculiaris iste nummus, quod Caracallae imaginem referat sub ea populi Laodicensium. Primae literae in nomine magistratus malleo repercussae non nihil vitiatae, atque extra ordinem positae conspiciuntur. Legendum tamen, ut in altero Caracallae Musei Albani Α ΑΙΛ ΠΙΓΡΗΤΟϹ etc. Immerito Pellerinius hosce, similesque nummos in suspicionem vocaverat, quod jam Eckhelio animadversum, atque ex hoc nostro indubiae fidei confirmatur. Vid. laud. Auctor N. Vet. p. 251, tum D. N. V. T. III. p. 165. Mortuo Sept. Severo patre, qui Laodiceae iratus ex silentio nummorum eam jure etiam cudendae monetae privasse visus est, imperii successor filius Caracalla mox pluribus beneficiis affecit, hoc etiam jure restituto, ut ex ingenti numismatum copia in ejus honorem edita fit manifestum.

LAODICEA SYRIAE

Caput velatum, et turritum Genii Vrbis.
ΙΟΥΛΙΕΩΝ
ΤΩΝ ΚΑΙ
ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ Fortuna stans, d. navia gubernaculum, s. cornucopiae. In imo ΔΗ. Ær. 2.

Caput turritum, et velatum.
.. ΛΟΔΙΚΕΩΝ
ΤΩΝ ΠΡΟΣ
ΘΑΛΑΣΣ.. In area Ⲅ. In imo ΑΝ. Victoria gradiens, d. corollam gerit. Ær. 3.

Caput Minervae galeatum.
ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ
ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ
ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜ Noctua, et in imo ΚΑ

Tres isti singulos hujus Vrbis honoris titulos complectuntur.

LARINVM FRENTANORVM

Caput muliebre velatum, et corona spicea ornatum.

ΛADINOD Larinorum. Delphinus. Ær. 3.

In aliis ex hujusmodi nummis editis prima lit. scribitur per G, ut apud Arigonium, in aliis apud Pembrock, et Eckhel. per L. In hoc nostro integerrimo supra delphinum est Λ graecum, a quo inscriptionis Initium sumendum. Diversimode eam literam inscriptam fuisse oportet. Sed iste mirifice confirmat lectionem, quam primo proposuit Cl. Khellius App. II. p. 100 hujus monetae, quae per varias Vrbes incerta vagabatur, eandem Larino Frentanorum adscribens; nam de vi graecae lit. Λ nulla controversia institui potest; quemadmodum res est jam confirmata pluribus exemplis, elementum D vim in lingua Osca, et Samnitica habere significandi lit. R, quae tamen per paragogen in fine adiiceretur, idiotismi gratia, non ad sensum exprimendum. Aliquando etiam haec Vrbs suum nomen scripsit primo, sive nominandi casu LADINOM, ut ex num. Abbat. Chaupy patet apud Eckhel.

LARISSA THESSALIAE

Caput Medusae adversum.

ΛΑΡΙ

ΣΩΙΑ.. Equus gradiens, intra pedes equi ramus. Ær. 3.

Larissa Thessaliae vetustate, ac Persei incolatu, qui Medusam interfecit maxime celebris.

LEONTINI SICILIAE

Caput Apollinis laureatum.

ΛΕΟΝΤΙΝΟ Retrograde. Caput leonis detracta pelle, et in σκελετὸν redactum, quod ambiunt quatuor hordei grana. Arg. 1.

Peculiaris iste nummus tetradrachmus, cujus similem vide apud T. M. Tab. XXXIX n. 4. Adhuc superest haec Siciliae Vrbs Catanam inter, et Syracusam posita, amplitudine, ac civium frequentia maxime olim nobilitata.

LEVCAS ACARNANIAE

Caput Herculis juvenile leonis exuviis tectum cum clava ad humerum d. quinque nodis inaequalibus composita.

ΛΕ ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ ΔΗΜΑΓΕΤΟΣ Lyra Apollinis. Ær. 2. Tab. VIII. n. 63.

In eo apud Pellerin. Pop. I. Tab. XIII n. 15 nomen magistratus diversum. Clavae similem formam vide in nummis editis Macedoniae argent.

ΛΕΥΚΑ Chimaera ex leone constans, cujus dorso impositum caput cervi in serpentem desinens.

Pegasus alatus equitante Bellerophonte, qui hastam intorquet. Ær. 3.

Insula, et Vrbs ejusdem nominis Acarnaniae proxima, a qua eruto quondam angusto Isthmi spatio disjuncta.

LILYBAEVM SICILIAE

Caput Apollinis laureatum cum pharetra ad humerum sin.

ΛΥΛΙΒΑ

ITAN Lyra Apollinis. Duplex Ær. 2.

Quae nunc Marsala, olim Lilybaeum celeberrima inter antiquiores Siciliae Vrbes ad Promontorium ejusdem nominis jacens.

LOCRI EPIZEPHYRII BRVTTIORVM

ΛΟΚΡΩΝ Fulmen, et infra caduceus.

Aquila leporem depascens. Arg. 2.

Caput Palladis galeatum, superne ΕΥ.

ΛΟΚΡΩΝ Mulier sedens, d. pateram, s. sceptrum; utrimque astrum. Ær. 1. Tab. VIII n. 64.

Caput Palladis galeatum superne ΚΛΛ.

ΛΟΚΡ Pegasus alatus, superne in area astrum, infra thyrsus. Ær. 2. Tab. VIII n. 65.

Vtrumque delineatum exhibere placuit ob lit. Ρ pro Ρ in secundo, quae in angulum desinit, quaeque Bruttiorum populis potius, quam iis Locridis assignanda. Cum autem uterque nummus ejusdem sit fabricae, de utroque idem statuendum erit. Si praeterea metallum, ejusque crassitiem spectemus, cum Bruttiorum moneta plane conveniunt. Pellerinius similes fere Locridi adscribit, qui propterea non iniuria Italiae restituendi. Notandae insuper in nostris initiales literae, quae supra galeam conspiciuntur. Caeterum recte monet Eckhelius D. N. V. T. I. p. 174, cum plures fuerint populi, qui Locri vocabantur, suamque propriam singuli pecuniam haberent, difficile esse certum de unaquaque judicium pronuntiare.

LOCRI POPVLI LOCRIDIS

Caput Palladis galeatum.

ΛΟΚΡΩΝ Botrus.

Similis typus utriusque partis occurrit tam in nummis Locrorum, qui Epicnemidii, quam qui Opuntii vocabantur. Olim vero una erat Gens Opuntia, quae discessione facta in binas secta est. Cum autem nullum adjiciatur Gentis vocabulum ut in plerisque editis, in quibus legitur insuper ΕΠΙΚΝΑ, vel ΟΠΟΥ, utrique ex aequo nummulus iste adscribi poterit.

LYTTVS CRETAE

Caput Jovis laureatum.

ΛΥΤΤΙ Aquila stans expansis alis. Inter crura fulmen. Ær. 3.

Lyttus Cretae mediterranea ab Homero, et Hesiodo celebrata. A Scriptoribus dicitur etiam Lyctus, sed nummi lectionem, ut supra, constanter retinent.

LVCERIA APVLIAE

Caput Herculis juvenile leonis exuviis tectum, pone quatuor globuli.

LOVCERI Clava Herculis media inter pharetram, et arcum. Ær. 2.

Luceria olim Dauniorum Vrbs, postea a Romanis Colonia facta fuit A. V. C. CDXL. ex Diodoro Sic. L. XIX. cap. 72, atque ex eo tempore latinam linguam in usum recepit, eademque suos nummos inscripsit, ut Brundusium Calabriae, Paestum Lucaniae etc.

MAGNESIA IONIAE

Vir galeatus in equo citato cursu decurrente hastam vibrat, retro Meandri flexus.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ

ΠΟΛΑΙΣ Bos gibbosus cornupeta. Ær. 3.

Alii duo similes. Ær. 3.

Similem vide apud Pellerin. Pop. T. II Tab. LVII n. 36, sed cum nomine ΜΑΙΑΝΔΡ; plures vero descriptos invenies apud Sestin. Descript. N. V. p. 341 cum aliis tamen magistratus nominibus, quibus hic noster addendus.

MAGNESIA LYDIAE

ΙЄΡΑ CΥΝΚΛΗΤΟC Caput juvenile Senatus.

ЄΠ ΦΡΟΝΤΩΝΟC ΜΑΓΝ CΙΠΥ Templum tetrastylum, in cujus medio figura muliebris tutulata stans. Ær. 3. Tab. IX. n. 66.

Aurelii Frontonis Magnesiae Lydiae Praetoris mentio quoque habetur in nummis Gallieni. Ad ea tempora propterea non immerito referendus hic nummus autonomus.

MAGNESIA THESSALIAE

Caput Jovis laureatum.

ΜΑΓΝΗ

ΤΩΝ Prora navis. Ær. 3.

Vide de his Sest. D. N. V. p. 149.

MAEONIA LYDIAE

ΖЄΥC ΟΛΥΜΠΙΟC Caput Jovis diadematum.

ЄΠΙ ΑΠΟΛ ΤΟ Β. ΜΑΙΟΝΩΝ Roma galeata thoraci insi-

dens, d. victoriolam, s. parazonium gestat. Ær. 2. Tab. IX. n. 67.

Legendum: Sub *Apollodoro iterum*. Apud Sestinium in alio simili legitur ЄΠΙ ΑΠΦΙΑΝΟΥ ΑΡΧ Α ΤΟ Β.

ΜΑΙΟΝΩΝ Caput Herculis nudum.

ЄΠΙ ΑΙΑ ΝЄ . . ΝΟC Omphale gradiens exuviis leonis, Herculisque clavam gestans. Ær. 3. Tab. IX. n. 68.

Alius similis, sed in aversa parte legitur ЄΠΙ ΔΑΜ. Ær. 3.

Caput Herculis juvenile laureatum.

ΜΑΙΟΝΩΝ Superne pharetra, infra clava Herculis, et papilio. Ær. min.

Similem fere delineatum exhibet Pellerin. Pop. T. II. Tab. LXII n. 34, qui in vultu Herculis Caracallae faciem sibi videre visus est, nec immerito.

Lydia olim Maeonia dicta, sed ejus vetustum nomen uni postea adhaesit Oppido ejus nominis. Plinius cives Maeonios appellat, eosque ad radices Tmoli montis constituit.

MACEDONIA PROVINCIA

Caput Dianae cum arcu, et pharetra ad humerum sinistrum inter scuta Macedonica.

ΗΡ

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ

ΠΡΩΤΗΣ Clava intra coronam querneam, extra eandem ad marginem fulmen. Arg. 1.
N

Capta bello Persei Regis universa Macedonia, in quatuor regiones ab Aemilio Paullo divisa fuit. Ad primam, quae non modo frugum abundantia, verum etiam metallorum fodinis maxime dives erat, spectant hujusmodi nummi, qui magna copia adhuc existunt. Hinc legitur ΠΡΩΤΗΣ, in aliis vero ΔΕΥΤΕΡΑΣ etc.

Caput Dianae.

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ

ΠΡΩΤΗΣ Clava intermedia, omnia intra coronam quernam. Ær. m. m. Tab. IX. n. 69.

Facilius est nummos argenteos invenire, quam huic similem ex aere, hujusque molis. Iste quoque ad primam spectat.

Caput Apollinis laureatum.

ΜΑΚЄ

ΔΟΝΩΝ Tripus. Ær. 2.

Caput Dei Panos prominentibus cornibus a fronte.

ΜΑ⊦ΕΔΟΝΩ.. Tridens cum duobus delphinis, et in imo monogrammata. Ær. 3.

Nomine totius gentis editus nummus. Notanda lit. ⊦ hujus formae, ut in Vrbe Ithaca.

MAC Caput juvenile ampla, crispa, et fluente caesarie ornatissimum: pone O.

AESILLAS Cista Bacchi, clava Herculis, sella, vel potius mensa. In area simpulum, sive cochlear, omnia intra lauream. Ær. 2. Tab. IX. n. 70.

Similes fere argenteos exhibent Pellerin., Haym, Eckhelius, aliique. In hoc aeneo, qui primus, ut reor, innotescit, notanda quaedam, in quibus ab editis differt. Primo enim vocabulum regionis Macedoniae latine scriptum videtur, nam tertiae literae vestigia, quae supersunt, indicant fuisse lit. C latinam; in aversa vero parte, ubi laudati Auctores legunt Q, et de Quaestore Aesilla interpretantur, in hoc nostro non obscure simpulum, vel cochlear agnoscendum videtur. Ad Macedoniam Romanam nummum hunc pertinere nemo dubitat. Hinc non mirum, si inscribi potuerit tribus initialibus literis latinis MAC, vel pluribus, quae modo desint, fugiente margine.

MAMERTVM SICILIAE

Caput Jovis laureatum v. d.

ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ. In area Π. Vir nudus galeatus, s. clypeum, d. hastam in hostem veluti intorquet. Ær. 2.

Caput Apollinis laureatum ad. d. pone lyra.

ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ. In area Π figura nuda scopulo insidens, d. hastam, s. clypeum, cui innititur, eamque capiti admovet. Ær. 2. Tab. IX. fig. 71.

Idem Caput s. respiciens.

ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ. In area Π. Vir nudus ex adverso stans, d. flagrum, s. hastam, ad hum. dependet paludamentum, et in area clypeus oblongus. Ær. 2.

Secundum ex his delineatum exhibere placuit, ut pateat ex ipsa imagine, atque ex adiecto lyrae symbolo Apollinem in eo agnoscendum esse. Doctiss. Eckhel. T. I. D. N. V. pag. 224 eos nummos hujus Vrbis describens, in quibus adversa pars exhibet caput juvenile imberbe laureatum, addita voce ΑΡΕΟΣ; posterior vero ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ, et Palladem gradientem cum hasta, et clypeo, vel bovem cornupetam, vel aquilam insistentem fulmini, haec subdit: *In his nummis caput anticae pro Apollinis capite haberi posset, nisi id additum* ΑΡΕΟΣ *vetaret*. Verum si res sedulo ad examen revocetur, nihil obstare arbitror ex ea voce adjecta ΑΡΕΟΣ, quin ea imago ad Apollinem referatur. Nam nomen illud a Mamertinis ad imaginem exprimendam appositum non fuisse liquet ex aliis similibus plane, in quibus loco ΑΡΕΟΣ additur vox ΔΙΟΣ, quos vide apud Magnanium Miscell. Tom. IV Tab. XXXVIII. Alias sequeretur eandem imaginem juvenilem laureatam, modo Martem, modo Jovem designare, quod sane absurdum. Itaque cum de magistratu aliquo suspicari nequeat, reliquum est, ut de Jove, et Marte interpretari debeant, quae erant praecipua

illius Vrbis numina . Idque mirifice confirmatur ex iis nummis, in quibus cum adiecta invenitur vox ΑΡΕΟΣ, nunquam cum ea facie juvenili laureata, et suprascripto nomine insculpta fuerit in aversa Martis figura, vel symbolum aliquod, ut constat ex ipsis nummis ab Eckhelio descriptis, secus ac factum sit cum illud nomen in adversa omissum fuit. Quod idem dicito de voce ΔΙΟΣ, quae cum a lest, nihil posterior pars offert, quod Jovem exprimat, ea autem omissa, tunc ejus symbola insculpta conspiciuntur, aquila nempe fulmini insidens etc.

MARCIANOPOLIS MOESIAE INFER.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛ... Caput muliebre velatum, et turritum.
... ΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤ.. Cybele turrita sedens cubito s. crotalo innititur, ad pedes leo. Ær. 3.

Parum dissimiles editi a Pellerinio T. I. Pop. Tab. XXXVI n. 8, et ab Haymio Parte II pag. 270, qui sub Genio Vrbis Marcianam agnoscit, nec immerito, cum haec Vrbs Moes. inf. nomen ab ea acceperit, testibus Ammiano lib. XXVII, et Jornande, qui ejus extruendae occasionem quoque exponit. Similia exempla in aliis pariter autonomis sese exhibent, de quibus nulla jam superest dubitandi ratio. Exceptis hisce, alioque simili Musei Granelliani apud Froelich., nulli hactenus ex autonomis hujus Vrbis inspecti. Nuper tamen alium a Sestinio editum invenio Descript. N. V. pag. 32 cum typo Herculis in aversa parte leonem comprimentis.

MARONEA THRACIAE

Caput Bacchi hedera, et corymbis ornatum.
ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ In imo ... ΑΡΩΝΙΤ.... Supple ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. Bacchus nudus stans, d. racemum,

s. strophium, et bina spicula. In area hinc inde, monogrammata. Ær. 2.

MASSILIA GALLIAE

Caput Palladis galeatum v. d.

M A Tripus, cui impositus circulus quadripartitus inter bina astra, infra cornucopiae in area ad s. tripodis. Ær. 2.

Quod apud Pellerin. Pop. I. Tab. IV in aversa parte nummorum, figuris 21. 22. 23, et in pluribus aliis apud Cl. S. Vincentii fil. Tab. II delineatum exhibetur circulari forma, et quatuor lineis aequaliter distinctum, illud ipsum est, quod in hoc nummo tripodi impositum cernitur. Itaque in eo insigne aliquod hujus Vrbis peculiare agnoscere oportet, quod ornamenti genus ad Apollinem quoque spectaret. Carent hoc signo caeteri nummi hactenus editi ejusdem Vrbis cum tripode. Hinc minime mirum si pro area aversae partis tantum quadripartita acceptum fuerit. Vide Eckhel. D. N. V. T. I. pag. 68.

MEGARA ATTICAE

ΜΕΓ Inter duos delphinos.

Prora navis, cui supra tripus. Tres Ær. 3.

De hujusmodi nummis scribit Eckhel. D. N. V. T. II p. 224 merito dubitari: utrum sint Megarorum Atticae, an vero Siciliae, Cl. Neumanno in idem consentiente. Verum tanta modo est horum, similiumque copia, quos omnes Cl. Cusinerius, se apud Atticam invenisse mihi testatus est, ut de eorum patria certo mihi jam constare videatur, quod confirmat Sestinius Descript. N. V. p. 178, eo etiam argumento, quod in Sicilia minime reperiantur.

MEGALOPOLIS ARCADIAE

Caput Jovis laureatum ad s.

ΛΈ Idest Megalopolis.

ΛΕ Et bina monogrammata, ut in iconismo.

Pan nudus rupi insidens, d. pedum, s. ramum, omnia intra coronam quernam continentur. Ær. 2. Tab. IX n. 72.

Parum dissimilis iste ab eo, quem delineatum exhibet Pellerin. Pop. T. I. Tab. XXI. n. 12. Vbi in eo ad pedes Dei Panos est aquila, in nostro monogramma, ut in schemate. Simili fere ratione exhibetur Panos figura in nummis, qui communi Arcadum nomine signabantur, ut ibidem apud laud. Pell. Hinc merito iste quoque Arcadiae adscribendus, ubi cultus ejus Dei maxime vigebat, atque ad Megalopolim Polybii natalibus illustrem referendus. Facies in nostro non ita juvenilis apparet, ut in Pellerinii schemate.

MENAENVM SICILIAE

Caput Cereris sine velo corona spicea ornatum.

ΜΕΝΑΙΝΩΝ Binae faces oblongae decussatae, et inter earum pedes Δ. Ær. 3.

Caput femineum velatum Cereris.

ΜΕΝΑΙΝΩΝ, et quatuor lineae sic IIII. Binae faces decussatim positae. Ær. 3.

Menaenum Siciliae mediterranea ad lacum Palicorum. Ejus incolae Ciceroni *Menenii*, Plinio *Menanini*. Quatuor lineae idem exprimunt, quod lit. Δ monetae nempe pretium.

MESSANA SICILIAE

ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ Retrograde. Lepus currens, et in area ramus.

Vir nudus sedens in lentis bigis ab unico equo vehitur, supervolitante ad ejus caput victoria cum corona. In imo hordei granum. Arg. 1.

Messana ad fretum Siculum jacens nunc quoque illustris. A Messeniis Peloponnesi originem suam ducens, atque in Siciliam traducta, Messana appellari coepit, tum vero etiam Mamertum Pellerinio, et Eckhelio in id consentientibus, qui propterea consulendi.

MESSENIA REGIO PELOPONNESI

Caput Cereris corona spicea ornatum v. d.

ΜΕ Idest Messenia.

ΣΕ Juppiter nudus stans d. fulmen intorquet, brachio s. extento insidet aquila, infra in area tripus. Ær. 2.

In similibus editis, quod semper adiectam in area coronam vidisset Cl. Eckhel, constanter id factum ab hac Vrbe censuit. Iste contrarium docet, in quo insuper additae lit. ΣΕ infra monogramma. Messenia regio Peloponnesi cum Vrbe ejusdem nominis.

METAPONTVM LVCANIAE

Caput Martis barbatum galeatum. Pone parvum caput leonis radiatum.

ΜΕΤΑ Spica, et supra paleam inflexam spicae clava. Arg. 2.

Caput, et imago Martis simillima alteri, quae cernitur in eo aeque argenteo ejusdem magnitudinis, in quo aversa

pars exhibet anteriorem partem equi cum freno, et pone spicam, et infra scriptum ROMANO, quem non immerito ad Vrbem Metapontum referendum videri suo loco diximus. Insuper nihil differt ab illo, in quo Goltzii fraude substitutum nomen Dionysii Syracusarum tyranni, ut egregie jam ab Eckhelio demonstratum. Ex hoc igitur Metaponti Goltzianus dolus magis magisque detegi, et confirmari mihi videtur.

Caput muliebre contortis in orbem, sinuatisque ad aurem d. capillis.

META Spica uberibus, et crebris tritici granis dives. Ær. 2.

Metapontum Lucaniae proprium veluti ubertatis suae symbolum habet tritici spicam, ob quam Strabo lib. V testis est, auream messem Delphis ab hac Vrbe dedicatam fuisse.

MELOS CYCLADVM INSVLA

BOVAH Caput juvenile Senatus.

ΜΗΛΙΩΝ Noctua stans: omnia in medio laureae coronae. Ær. 2. Tab. IX n. 73.

Melos una ex nobilioribus Cycladum Insulis. Plerumque in suis nummis Melopeponem adjecit. In simili apud Pellerin. Pop. T. III Tab. CIV. fig. 6 ad caput Senatus reliquae tantum supererant binae literae. Hinc supplenda integra lectio, ut in nostro BOVAH.

Caput Palladis galeatum.

Μ Η

ΛΙΩΝ In medio laureae coronae. Ær. 2.

MILETVS JONIAE

M Apollo nudus stans, d. parvum cervum gestat, s. arcum.

ΑΙΣΧΥΛΙΝΟ.. Leo jacens astrum respicit. In area ad caput leonis K. Ær. 3. Tab. IX. n. 74.

Miletus Vrbs Joniae maritima Cariae contermina. Eandem exprimunt lit. MI in monogrammate, ut supra. Hinc Eckhelius merito non paucos emendat, qui monogrammate minime animadverso, adjectum magistratus nomen de Vrbe interpretati sunt. Plures huic similes videsis apud Sestin. Descript. N. p. 345, tum apud laud. Eckhel. D. N. T. II. pag. 530. Miletus Atheniensium Colonia adeo celebris incolarum frequentia evaserat, *ut LXXV Vrbium populum in diversa effuderit*, teste Seneca de Consol. ad Helv. c. 6. Magistratus iste addendus editis. De Apolline Didymeo, ejusque oraculo vide Eckhelium.

Caput Apollinis laureatum.

Leo retro conversus astrum respiciens, ante pectus MI in monogrammate. In imo vero ΩΠΥΡΙΩΝ. Ær. 3. Tab. IX. n. 75.

In simili nummo alii legunt ΩΠΥΙΩΝ, alii ΟΡΙΚΙΩΝ, et Orico Epiri adscribitur a Froelich. Sed est nomen magistratus, ac in hoc nostro primae lit. Ω vestigia quoque apparent, reliquae literae clare leguntur.

MYCONVS INSVLA CYCLADVM

Caput Bacchi adversum corona hederacea ornatum.

M Y
K O Racemus uvae, et duplex spica. Ær. 3.

Ferax extitit haec Cycladum Insula frumento, et vino,

ut aversae partis typo clare designatur, cujus excellentia vini a Plinio quoque commendatur.

MVLASA CARIAE

MVΛA
ΣΕΩΝ Tridente intermedio.
Equus gradiens. Ær. 3.

Vrbs templorum multitudine magis, quam civium illustris.

MYTILENE LESBI

ΖΕVC ΒΟVΛΑΙΟC Protome Jovis laureata, rejecto ad humerum sin. pallio.

ΘΕΟΙ ΑΚΡΑΙΟΙ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Juppiter medius inter Neptunum, et Plutonem, singuli stantes cum attributis. Ær. m. m.

Vide illum in fine hujus libri.

Eximium hoc numisma, quod Holstenius citat in not. ad Stephan. de Vrb. ex Mus. Mediceo, praemittitur etiam editioni Nummophylacii Reginae Christinae. Sed Havercampus in eo perperam legebat ΘΕΟC ΑΚΡΑΙΟC. In nummis quidem Vrbis Smyrnae Juppiter singulari numero inscribitur, quoniam de illo tantum in iis mentio habetur, ut ex imagine adiecta fit manifestum. Sed Mytilenaei non unum Jovem, sed Plutonem insuper cum Neptuno Vrbis, et Arcis suae Praesides se habuisse figuris, simulque epigraphe in hoc nostro clare ostendunt. Jovis Consiliarii, sive ΒΟVΛΑΙΟV simulacrum Athenis extitisse scribit Pausanias lib. I. Deorum vero Praesidum explicationem jam attulit Eckhelius ex Polluce sub hac ipsa Vrbe, qui propterea videndus.

ΘΕΟC ΑΜΜΩΝ Caput Jovis Ammonis.

ЄΠΙ CTP ΒΑΛ ΑΡΙCΤΟΜΑΧΟV ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ Mulier turrita sedens d. pateram, s. sceptrum, in cujus suprema parte quaedam flocci species superimposita. Ær. m. m. Tab. IX. n. 76.

In hoc altero Mytilenaeorum praestanti numismate, quod figura sedens in aversa parte, laeva manu gestat, pro sceptro accipiendum existimo. Nummus est integerrimus, nec aliam, quam sceptri speciem offert in supremo ornatam, ut diximus. Quo posito non aliter sentiendum de simili Pellerinii Pop. T. III Tab. CIII n. 16, itemque de altero, quem addidit Supp. II. Tab. IV. n. 3. Cum enim in singulis Genius hujus Vrbis turritus exhibeatur, idem etiam insigne proprium manu gestare dicendus est, tanquam ΠΡΩΤΗ ΛΕΣΒΟV.

Caput Jovis Ammonis laureatum.

M V

T I In medio laureae coronae. Ær. 2.

Caput imberbe diadematum cum cornu arietino.

M V

T I Herma barbatus capite hederae foliis ornato prorae navis impositus: hinc ad s. acrostolium, inde ad d. botrus. Ær. 2.

M V Caput juvenile fluentibus retro capillis.

Lyra Apollinis in laurea. Ær. 3. Tab. IX. n. 77.

Caput femineum filo redimitum revinctis pone capillis.

M V

T I Intermedia lyra Apollinis. Ær. 3.

Quemadmodum in praecedenti, quem delineatum dedimus, pronum est Apollinem agnoscere; ita in hoc secundo, in quo imago muliebris peculiari cultu expressa clare agnoscitur, illam de clarissima poetria Sappho accipiendam censerem, quam Mytilenaeos monetae suae insculpsisse Pollucis testimonio constat. Musei Caesarei In Catal. Vin-

dob. Tab. III fig. 13 parum diversa proponitur ipsius poetriae imago. In aliis ipsa sedens lyra canit.

NAXVS SICILIAE

Caput Bacchi barbatum, et fascia opere phrygio ornatum.
NAΞΙΟΝ Faunus, vel Silenus caudatus inter pampinos sedens, dispositis lascivientis in modum pedibus, d. cyathum elevatum sustinet, s. thyrsum, ad ejus dex. assurgit hederae ramus. Arg. 1. elegantiss. Tab. IX n. 78.

NEAPOLIS CAMPANIAE

Caput Dianae diademate ornatum. Pone ad occiput arula. Vbi vero collum desinit ΑΡΤΕΜΙ ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ, et in area ΘΕ. Taurus humana facie a supervolitante victoria coronatur. Arg. 2. Tab. XII. n. 142.

Ex hoc praeclaro nummo, qui nunc primum innotescit clare patet in simili Goltzium falso obtrudisse integram vocem ΑΡΤΕΜΙΣ, qua posita, utique ea vox de Diana interpretanda esset. Sed ultima lit. Σ in nummo nunquam extitit, licet spatium supersit eidem continendae idoneum, ut in schemate. Itaque de aliquo magistratus nomine interpretanda, ut *Artemidori* etc. quemadmodum magistratum sine dubio indicant dimidiatae voces ΕΥΞ, ΤΑΡ, ΑΡΤ, et quandoque integrae ΚΑΣΩΝ, ΔΙΟΦΑΝΟΥΣ, et similes eodem semper loco positae. Hinc merito Eckhel. T. I. D. N. V. p. 112 de fide Goltzii suspicabatur, atque initiales lit. ΑΡΤ, non de Artemide, sed de magistratu interpretabatur, et contra Begerum, aliorumque opinionem, in imagine nummi Parthenopem potius agnoscendam putabat. Nuperrime apud Cl. Carellium alterum vidi numisma integerr. cum eadem dimidiata voce ΑΡΤΕΜΙ, et imagine, ut in nostro, cum hoc uno discrimine, quod in area illius cerni-

tur parva Martis figura. Ex quo signo nihil aptius desiderari potest ad Goltzii malam fidem detegendam, cum in illo pariter eadem figura Martis conspiciatur, et caetera omnia consentiant, dempta una lit. Σ Goltzii dolo malo adiecta. Parthenopes mentio habetur in meo nummo anecdoto ex iis, qui vocantur contorniati bilingui cum ejus figura, et imagine Alexandri M. quem vide in serie Regum.

Caput Apollinis laureatum, pone galea.

ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Lyra, et cortina. Ær. 2.

In aliis minimae formae cum capite pariter Apollinis, et tripode in aversa parte lit. Π ita inscribitur Γ ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ, ita etiam in quibusdam cum Minotauro. De hac Vrbe antea Parthenope dicta a Sirene ejusdem nominis ibidem sepulta, nunc quoque Italiae celeberrima, plura hic afferre minime necesse est.

NEAPOLIS JONIAE

Caput muliebre murali corona ornatum, in eundem ferme modum, ac cernitur caput Vrbis Menaenorum Siciliae apud T. M. Tab. XLIV. n. 13.

ΝΕΑΠΟΛΙ Tridens Ær. min.

Cl. Sestin. Descript. N. V. pag. 345 meum afferens Gordiani Pii nummum, in quo mentio concordiae inter Arpasenos, et Neapolitas, egregia profert argumenta, ex quibus consequitur in eo foedere longe verisimilius designari Neapolim Joniae maritimam, et commercio maxime opportunam cum Harpasa Cariae. Addit insuper nummos omnes, qui inscribuntur ΝΕΑΠ a Macedonia excludendos, cum ii, qui magno numero existunt in Museis Ainseliano, et Cusyneriano, singulique in ea provincia inventi sunt, habeant ΝΕΟΠ, non ΝΕΑΠ. Superesset Caria, in cujus tractu recensetur una, et altera Neapolis a Geographis; sed merito videnda, quae a laud. Sestinio ibidem afferuntur;

quaeque Joniam praeferendam suadent. Quae cum ita se habeant, hunc meum anecdotum Joniae potius adscribendum putaverim, qui si caeteris jam jungatur a Sestinio ibidem descriptis, vel restitutis, augebitur supellex geographica de hac Vrbe non ignobili, quae adhuc floret, et antiquum retinet nomen, cum illae, quae Cariae tribuuntur plane interierint.

NICOPOLIS EPIRI

ΝΕΡΩΝΟ ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ Η ΠΡΟΣ ΑΚΤ Protome Genii Vrbis, sive Victoriae alatae, et turritae.

ΝΕΡΩΝΟΣ ..... Navis praetoria cum remigantibus, supra quam in area ΕΠΙΦΑΝΙΑ. Ær. 2. Tab. IX. n. 79.

Alius, sed in aversa parte supersunt literae ...... ΑVΤΟ ΚΡΑΤ ΣΕΒΑCΤ ΕΠΙΦΑΝ. Ær. 2.

Integra lectio ex his duobus similibus coalescit; ita ut in aversa esse debeat inscriptio ΝΕΡΩΝΟΣ ΑVΤΟΚΡΑΤ ΣΕΒΑCΤ. Hosce meos praestantes nummos jam illustratos invenies apud Cl. Sestinium Descript. Num. Vet. pag. 161. Ea vox peculiariter notanda, quae exprimit cytharoedi Imperatoris in Graeciam adventum, ejusque ad praecipuas Vrbes accessum ad solemnes ibidem ludos, et certamina obeunda. Se autem Nicopolis ad Actium *Neroniam* appellat, aliarum Vrbium exemplo, quod eas praesentia sua, suisque victoriis nobilitasset, eodemque tempore Graeciam universam liberam esse jussisset.

ΙЄΡΑ . . . . Protome turrita, et alata Victoriae, sive Genii Vrbis Nicopolis.

CЄΒΑ ΤΟΙ . . . . . (sic) Figura muliebris sedens, d. vas, ex quo duo palmae rami emergunt, s. lauri ramum gestat. Ær. 2. Tab. IX. n. 80.

Pars aversa interpretanda de *Augusti Conditoris* ludis, et certaminibus in Apollinis honorem institutis post devi-

ctum ibidem Insigni navali victoria M. Antonium III Virum. Omissum a Monetario C in voce CЄBACTOI.

VXENTVM CALABRIAE

Caput geminum imberbe.

OΞAN Hercules nudus stans, d. clavam, s. cornucopiae, et leonis exuvias gestat, et ante se volantem Victoriam respicit. Ær. 2.

Caput Palladis galeatum cum sceptro ante faciem.

OΞAN Hercules, ut in superiori. Duplex Ær. 3.

In hisce tribus nummis lectio clarissime patet, nec ulla unquam alia extitit adjuncta litera; non aliter scriptum vidi in aliis pluribus, quos ante oculos habui, praesertim Josephi Recupero ex Proceribus Catanensibus ornatissimi Viri, et in rebus numismaticis versatissimi. Non aliter denique legitur in iis, quos Eckhel describit ex Mus. Caes. T. I. Doctr. N. V. pag. 149, et in duobus Pellerinii Suppl. III pag. 96 Tab. IV. n. 3, et 4. Nullus itaque dubitationi locus relinquitur, quod in hisce nummis Vxentum Vrbs Calabriae designetur. Cl. Sestinius in duobus similibus Borgianis Descript. N. V. p. 23. se vidisse testatur ante Ξ lit. P orizontaliter positam, ideoque hosce nummos Vrsento Lucaniae restituendos putat. Verum suspicor extremam exuviarum leonis fimbriam, quae lit. O proxima est, eidem fucum fecisse. Absit invidia verbo, quoniam tot praeclari testes aliter suadent. Praeterea Vrsenti nummi typum plane dissimilem offerunt, in iisque legitur OPΣANTINΩN. Vide Pellerin. Suppl. II p. 24 Tab. I. n. 9.

OENIADAE ACARNANIAE

Caput Jovis laureatum.

OINIAΔAN Caput tauriformi facie, et hispida barba, supra quod tridens. Ær. 2.

Caput Palladis galeatum.

Aversa, ut in praecedenti sine epigraphe, sed addito pariter supra tridente.

Apud Pellerin. et Eckhel. omissum video tridentem. De Achcloo fluvio in his nummis expresso nulla jam quaestio, de quo plura vide apud Spanhem. et Eckhel. Ad ejus ostia posita erat Oeniades, hinc intelligimus cur in his addatur tridentis signum: quod nempe Achelous ibidem in sinum Corinthiacum sese exonerans Neptuni regna ingrederetur. Alios vide cum eodem tridente apud Hunter, et Sestin. Descript. N. V. pag. 168.

ORTHOSIA CARIAE

ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ Caput muliebri facie cum stola ad pectus, et corona ex hedera contexta ornatum.

Thyrsus erectus cum taeniis. Incerta lectio magistratus. Ær. min.

Vide parum absimilem apud Pellerin. P. T. II. Tab. LXVII fig. 47. Orthosia Cariae mediterranea ad Meandrum fluvium.

ORIPPO HISPANIAE BAETICAE

Caput muliebre comptis capillis ornatum, laureatum.

ORIPPO Bos stans, superne lunae falcatae signum. Ær. 2.

Vide de eo Florezium T. III. p. 105.

Vrbs modo adhuc superest sub nomine DOS Hermanas.

ORRA ITALIAE IN LOCRIS

Caput Herculis imberbe exuviis leonis tectum. In imo tres globuli.

OPPA

ΓOR Fulmen, et tres globuli. Ær. 3.

Ex numino, quem illustravit Michael Arditus, in quo cum capite Palladis galeatae, legitur in aversa parte ΛΟΚΡΩΝ, et superne OPPA, non iniuria infertur hanc Italiae Vrbem in Locrorum Epizephyriorum agro sitam fuisse. Vide Sestin. Descript. N. V. pag. 25, et Eckhel. D. N. V. T. I. pag. 183.

PAESTVM LVCANIAE

Templum sex columm. a latere conspicuum. Hinc ΠΑΙ, inde S infra QVI.

CN COR

M TVC In medio coronae. Duplex Ær. 3.

ΠΑTR

In schemate Pellerinii Suppl. II p. 19 Tab. I. n. 5 legitur in prima lin. aversae partis CNÆCR, sed dubitat Cl. Vir de 3. litera, ac revera ex his duobus, aliisque editis legendum, ut supra CN COR, nec praestanda fides Magnanio, qui eum exscripsit.

PÆ Caput Palladis galeatum pone S.

M. O II VIR Navis gubernaculum, cujus extrema pars ferro oblongo inflexo munitur versus dex, et literam O fere contingens. Duplex Ær. 3.

Apud Cl. Sestin. Descr. N. V. p. 20 n. 22 in simili legitur M. OC. F II VIR. Sed in meis duobus extrema pars gubernaculi inflexi, ut dictum est supra, proxima est lit. O

nominis proprii M. O, quin spatium relinquat alterius cujuslibet literae in iis nummis.

Bina capita jugata incerta, ut et epigraphes lectio.

XXXX

LEX Spica intermedia, et IV globuli. Ær. 3. Tab. IX. n. 81.

Singula in aversa parte clarissime conspiciuntur. Hinc de aliqua lege frumentaria in ea mentionem fieri patet, quae in Paestanorum beneficium lata sit. In anteriori parte, quae plurimum detrimenti accepit, forte capita sunt Dioscurorum, licet modo barbata esse videantur. Similem vide apud Hunter inter incerta Tab. LXVIII n. 6, in quo clare conspicua sunt in adversa bina Dioscurorum capita cum astris. Quod ad Vrbem hanc referendus sit nummulus iste suadet alius fere similis a Sestinio allatus Descript. N. Vet. pag. 21, quem cum aliis pluribus ibidem a se inventum testatur. Adduntur vero huic nostro globuli, qui rem magis confirmant. In illo vero Sestinii duplex describitur spica, vox tamen LE ex nostro integre suppletur LEX. Insignia Paesti rudera, quae supersunt, et a viris doctis illustrata, antiquum ejus splendorem, et opulentiam adhuc manifestant.

Caput nudum, ante faciem lituus.

C. LOLLI M DO: Haec in ambitu nummi: in area

ITE

II VRI

P. S. S. C

Diana ex adverso stans habitu brevi, d. hastam: ad hum. s. pharetram, s. demissa arcum gerit. Ær. 3.

Caput nudum anepigraphum.

C. LOLL......

ITE Prora navis. Ær. 3.

Deficiente tantum margine ad proram v. d., superstite

spatio in imo sine ullis literis, supplendus iste videtur de solo *C. Lollio* IIVIRO.

Inter tam varias, dissidentesque Eruditorum sententias de nummi primi patria, nam secundus nunc primum innotescit, hactenus anteponenda mihi videtur Cl. Sestinii sententia, qui Descript. N. V. pag. 21 testatur suprascriptum nummum, aliosque similes apud Paestum a se comparatos fuisse; nec secundus, sive metallum, sive fabricam, sive denique navis typum cum aliis similibus Paestanae Vrbis consentientem, eam patriam respuit, immo confirmat. Adire praestat Cl. Eckhel. T. IV, qui p. 14 varias enumerat Erudit. Virorum interpretationes de lit. P. S. S. C; patebit enim nihil ex iis certi statui posse. Qua propter redeo ad illud, quod unice verum existimo: cum ex duobus recitatis nummis primus cum 4 literis P. S. S. C, aliique similes in ruderibus Paesti inventi fuerint, hactenus celebri illi Lucaniae Vrbi cum Sestinio vindicandos esse. Quod idem de secundo unius C. Lollii statuendum nemo inficias ibit.

PALATIVM VMBRIAE

Caput Vulcani pileatum cum forcipe ad hum. s.

S PALAC Larva ex capite leonis confecta, eandem utrimque taeniis ambientibus. Ær. 3.

Ex Mus. Mellingen, olim Verità.

Editus iste a Cl. Sestinio Descript. N. V. p. 2. sed omissa lit. C, et nota semissis. Itaque de Palacia Oppido Hispaniae Baeticae interpretandus esset, si ad Hispaniam pertineret. sed eum fabrica elegantior, et nota S Italiae vindicant. Idem egregius Vir notat etiam *Palatio* convenire posse, de quo Halicarn. lib. I scribit: *Palatium XXV stadiis abest a Reate*, quae erat Italiae in Sabinis Straboni, et Ptolemaeo, nunc ditionis Ecclesiae Romanae in Vmbria provincia. De hac igitur Vrbe potius interpretanda epigraphe nummi, prae-

sertim cum promiscue literae C, et T usurpari soleant. Ita *Palacia*, de qua paulo ante dictum est, *Palatia* aliis nominatur.

PALLENSES CEPHALLENIAE

Caput Cereris.

ꟼ Nihilque praeterea in tota area. Ær. 3.

Ad Pallenses Cephalleniae referendum esse hunc nummum, aliosque similes merito statuunt Neumann., Eckhel. ac postremo Sestinius ex Jacobi Gradenici P. V. testimonio, qui id genus nummos non infrequenter inveniri scripserat apud eum praecipue locum, quo Pallensium Vrbs steterat. Hinc quos Burmannus, et Pellerinius Panormo tribuunt, huic Vrbi restituendi.

PANORMVS SICILIAE

Caput Jovis laureatum s. v.

ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ Miles stans galea, thorace, et ocreis in pedibus munitus, d. extensa, s. hastam, in cujus ima parte clypeus. Ær. 3.

Ex hoc integerrimo nummo clare distinguitur clypei forma, qua uterentur milites Panormitani: apparet enim umbone munitus, qui in conum desinit cum cuspide in suprema parte, secus ac in editis apud T. M. exhibeatur.

ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ Caput muliebre laureatum, ac revinctis ad occiput capillis.

Ara quadrata. Ær. min.

Caput Martis galeatum.

ΠΑΝΟΡ
ΜΙΤΑΝ Mulier stans dex. pateram, s. cornucopiae. Ær. 2.

De Panormo in litore maris Tyrrheni sita, non modo

antiquitus magni nominis, verum hodie etiam totius Insulae principe plura hic addere necesse non est.

PATRAE ACHAIAE

Caput Palladis galeatum.

ΑΡΙϹΤΑΡΧΟ.... ΝΟϹ ΠΑΤΡЄΩΝ Neptunus nudus stans, d. tridentem intorquet, s. extensa delphinum gestat. In area ejusdem Vrbis monogramma. Ær. 3.

Supple ex Pellerinio lacunam ΔΑΜΩΝΟϹ. In nostro vero nomen Vrbis integre scribitur ΠΑΤΡЄΩΝ.

ΠΑΤΡΕΩΝ Strobilus, sive nux pinea intra coronam ex hederae foliis contextam.

..... ΔΟV, et monogramma Vrbis in area, caeteris literis vitiatis, quae nomen magistratus continebant. Figura juvenilis stans habitu brevi d. extensa, s. baculum oblongum, simulque animalculum quadrupes e brachio dependens gestat. Ær. min. Tab. IX. n. 82.

Optime inter se consentiunt pinea nux, et corona hederacea; utraque enim ad Bacchum referuntur. Nam ex Clemente Alexandr. in Protrept. in Liberi Patris mysteriis nux pinea adhibebatur, et in pluribus vetustis Bacchantium monumentis idem nucis genus Thyrsorum fastigio adhaerens conspicitur, ut etiam in nummis. Spanhemium, si lubet, plura de hac nuce disserentem consule, pag. 308 Dissert. VI, ubi pariter ex nummis ejusdem affert exempla, ut in eo Syracusanorum, de quo etiam Cl. T. M. Vrbs Patrae posita erat, ut nunc quoque, in colle prope Rhium celebre Promontorium ad fauces sinus Corinthiaci jacens, quod Polybio teste, erat universo Achaeorum Conventui sacrum. Sylvam forte in proximo habebat pineis arboribus consitam, et venationibus aptam, ut aversae partis figura non obscure indicat.

Quem delineatum exhibet Pellerin. Pop. T. I. Tab. XVII n. 29 monticulum offert inter duas arbores, quas in suo Eckhelius de aristis interpretatur. Noster antiquior, scribitur enim nomen Vrbis cum Ω, et unicam lineam occupat epigraphe, nullaeque in eo extant arbores, vel aristae, quod discriminis inter utrumque argumentum praebet quo ad anteriorem partem. Aversa vero plane similis, nisi quod in Pelleriniano pro extrema chlamydis lacinia acceptum est animalculum, quod in nostro e s. brachio venatoris clare dependet. Si dixerimus vel in ipso Patrarum colle, vel in proximo monte Panachaico extitisse piniferam sylvam non longe a vero aberrabimus. Nam Homerus Iliad. B memorat: *Qui Miletum incolebant, et pinorum montem frondosum*. Et Virgil. Georgic. IV pariter canit: *Ipse thymum, pinumque ferens de montibus altis*. Cum capite apri binos vide delineatos apud Sestin. Descript. N. V. Tab. IV n. 12, et 13, cum ea Vrbs jam Colonia facta esset, quod indicio est Patrenses in proxima sylva se venationibus exercere consuevisse.

PERGA PAMPHILIAE

Caput Dianae cum pharetra ad humerum.

ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ ΠΕΡΓΑΙΑΣ Diana habitu venatricis cum arcu in sinistra. Ær. min.

Perga Pamphyliae illustris ad Cestrum fluvium.

PERGAMVS MYSIAE

ΠΕΡΓΑΜΗ Protome muliebris galeata.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Figura nuda ex adverso stans, d. nescio quid, s. canistrum frugum gestare videtur. Ær. min. Tab. IX n. 83.

Nihil desideratur in epigraphe adversae partis. Vtrum ea vox ΠЄΡΓΑΜΗ ad imaginem potius, quam ad Vrbem designandam adiecta fuerit, Eruditorum judicium esto. Cl. Sestinius Descript. N. V. pag. 288 nummum descripserat cum epigraphe ΚΤΙCΤΗC ΠЄΡΓΑΜΗC, in quo caput Conditoris barbati; sed in erratis post Indicem Regum animadvertit legendum ΠЄΡΓΑΜΟC, ut a Cusinerio in autographo suo inventum. Ita etiam ab Harduino similis descriptus fuerat. Vnicum ergo hoc nostrum est exemplum de voce ΠЄΡΓΑΜΗ nominandi casu.

ΣΕΛΕΥΚΟΥ Caput Jovis.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Aquila fulmini insistens. Duplex Ær. 2.

Hunc recte jam Arigonius Vrb. Tab. XVII n. 169 inter Pergamenos descripserat, et in nomine Seleuci magistratum agnoverat. Quod revera probant similia hujus Vrbis exempla ab Eckhelio, et Sestinio allata, ut ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ, ΧΟΡΕΙΟΥ etc. Non amplius itaque in hoc nummo de Seleuco I Syriae Rege cogitandum, ut Haymio, et Froelichio visum fuerat; vel de Mithridate Pergameno Bosphori Rege a Caesare Dictatore constituto cum Seguino. Vide sequent.

ΕΠΙ ΠΕΡΓΑΜΟΥ Caput Minervae galeatum.

...... ΑΜΗΝΩΝ Victoria gradiens cum palma. Ær. 2.

Praepositio adiecta magistratum indicat, docetque idem statuendum de reliquis, de quibus in praecedentibus dictum est.

PERINTHVS THRACIAE

Caput femineum pampineis frondibus ornatum.

ΠЄΡΙΝΘΙΩΝ Hercules quiescens ad similitudinem Farnesiani. Ær. 3. Tab. X n. 84.

Perinthus Thraciae Vrbs illustris ad Propontidem. Cultum Herculis produnt alii ejusdem Vrbis nummi hactenus editi, sed ab hoc nostro diversi.

Caput Jovis promissa barba, ac diademate ornatum. Ante faciem in area sceptrum.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ Aquila fulmini insistens Ær. min.

Auget et iste autonomorum numerum hujus Vrbis.

PETELIA BRVTTIORVM

Caput muliebre velatum.

ΠΕΤΗ

ΛΙΝΩΝ Juppiter d. fulmen vibraturus, s. hastam. Ær. 3.

Vrbs maritima tribus vix milliaribus ab ora maris Jonii distans.

PETRA CRETAE

ΠΕΤΡΑ Delphinus.

Tridens. Ær. min. Tab. X. n. 85.

Suppletur ex hoc nostro unicus alter Pellerinii Pop. T. III Tab. CXXIII fig. 14, in quo desideratur litera T. Vtrum autem referendus sit ad Marmaricae portum cum Cl. Viro, an ad Creticam Insulam, libentius assentior Doctiss. Eckhelio, qui Tom. IV D. N. V. pag. 116 in hoc nummulo sibi videri testatur mercem Creticam. Revera enim, sive fabricam spectes, sive symbola Cretam redolet. Confirmatur autem ex eo quod hic noster spectet ad seriem, quam mihi uno tempore Patavii comparavi, cujus maxima pars ex Insula Cretae advecta fuerat. Accedit lit. Γ cum secunda breviori lineola perpendicolari, quae in aliis ejusdem Insulae nummis occurrit, ut in eo Priansi, quem vide paulo inferius. In schemate non recte expressa prima litera Γ.

PIMOLISA PONTI

Caput Palladis galeatum.

. . ΙΜΩΑΙΣ Pharetra loris adnexis. Ær. 2. Tab. X. n. 86.

Supplere oportet ΠΙΜΟΛΙΣ, ut in altero apud Pellerin. Pop. T. II. Tab. XXXIX n. 8, et in Hunteriano, in quo ΠΙΜΩ. . . . . Sed nummus Pellerinii praefert caput galeatum barbatum. In eo Pembrokii p. 2. Tab. XXXI nostro fere simili legitur ΤΙΜΩΛΙΣΩΝ, vetantibus nummo Pelleriniano, et Hunteriano, quorum ope substituenda prima litera Π loco Τ. Hujus Oppidi, quod in Ponto, et in agro Pimoliseno situm erat meminere Strabo, et Stephanus de Vrb. Ejus nummi hactenus paucissimi ad nos pervenere.

PITANE MYSIAE

ΘΕΑΝ Ρ . . . ΗΝ Supple ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ. Caput Romae in vertice turritum.

ΠΙΤΑΝ Clypeus, in quo insculptum Pentagonum Ær. min. Tab. X n. 87.

Apud Pellerin., et Pembrok. simplex exhibetur pentagonum; in isto vero clypeus eo signo, peculiari velut Vrbis nota ornatus cernitur, ut mox in sequenti Polyrhenii pariter clypeo additur caput bovis, quod in altero aream unice occupat. In schemate omissum pentagonum coeno adhuc oblitum. Ejus figura cernitur in nummis quoque Italiae, ut in meo Beneventi, tum etiam in iis Galliae. Alterum nostro huic similem descriptum invenio in libro nuper edito Descript. N V. Cl. Sestinii pag. 296. De pentagoni Interpretatione, consule, si lubet, quae erudite ex Luciano memorat Eckhelius sub hac eadem Vrbe. Pitane Vrbs Mysiae non longe ab Aeolide distans.

POLYRHENIVM CRETAE

Caput bovis cum taeniis utrimque dependentibus universam aream occupans.

ΠΟΛΥ

ΡΗΝΙ Pilum hastae. Ær. 3.

Clypeus, in quo caput bovis, omnia in medio coronae.

ΠΟ

ΛΥ Pilum hastae. Duplex Ær min. Tab. X. n. 88.

Polyrhenium Cretae Vrbs ad litus occidentale, ad quam spectant hujusmodi nummi, et typus. Praeeunte Svida delecta fuisse videtur, ut apud eam Cretenses sacra facerent. Certe apud hanc Vrbem stetit Dictynnae Fanum teste Strabone. Patent ex his tribus quae in subsequenti adnotabimus.

Caput virile filo redimitum.

ΠΟ

ΛΥ Tripus intra lauream. Ær. 3. Tab. X. n. 89.

Non alteri pariter Vrbi, quam Polyrhenio Cretae adscribendus nummulus iste anecdotus ex simili epigraphe in praecedentibus. Hinc supplet, et confirmat lectionem argentei numismatis apud Sestinium Descript. N. V. p. 224, in quo pariter caput virile Herois filo redimitum. Dubia quae excitat Cl. Neumann. Parte I. pag. 246 de typo aversae partis, ex tribus meis plane evanescunt; in singulis enim, et integris quidem, pilum sine ullis filamentis clare conspicuum cernitur. Ornamenta igitur, si quae habuit nummus Pellerinii, pili formam minime destruit. Literae punctis finiuntur, ut etiam in praecedentibus. Iste cultum quoque Apollinis ea in Vrbe viguisse ostendit.

POMPEIOPOLIS CILICIAE

Caput juvenile nudum sine epigraphe.

ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛ ...... Victoria gradiens, d. corollam, s. lauri ramum. In area M
AV

Alius similis, sed in aversa parte M
POV

Ex Mus. Recupero. AE

Imagines nihil ad Pompejum M. attinent, cujus effigiem ab ipsis Pompejopolitis editam vide in nummo nostro Imperialium primo.

PRAESVS CRETAE

Caput virile modice barbatum contortis, fluentibusque ad occiput capillis cum signo paralellogrammo incuso in ipso capite, in quo + sic

ΠΡΑΙ
ΣΙΩΝ Fulmine intermedio, sine ullis literis solitariis adiectis. Ær. 3.

Herois speciem offert caput adversum. Recte jam notavit Eckhelius sub hac Vrbe Pellerinii lapsum, qui nummum hujus Vrbis a Liebio primum editum Poamanenis M, restituendum censebat. Ex his nummis emendatur corruptum nomen Prasus in Strabonis codicibus.

PRIANSVS CRETAE

Caput femineum.

ΠΡΙΑΝ Palma arbor, et in area simplex cornu. Ær. 3. Tab. X n. 90.

De Prianso Cretae explicanda epigraphe, cujus Vrbis nomen corruptum legimus apud Stephanum sic Πρίαισος πόλις Κρήτης. Emenda igitur Πρίανσος. Binos, sed argenteos jam ediderunt Pell, et Eckhel. cum integra voce ΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝ, et alterum etiam cum typo palmae arboris. Iis itaque hic noster addendus, in quo duo haec notare praestat. Primo simplex cornu in area aversae partis plane simillimum esse illi, quod gestat Sacerdos talari veste in nummis Corcyrae magnae; alterum lit. Π hasta breviori secunda, quod Cretensibus Vrbibus non insuetum, ut in Vrbe Petra animadvertimus. Tres alios postremo addidit Sestin. Descript. N. V. quos vide p. 225.

PRIENE JONIAE

Caput Neptuni laureatum, pone tridens.

ΠΡΙΗΝΕΩΝ Noctua olivae ramo insistens. Ær. min. Tab. X n. 91.

Priene Joniae maritima prope Mycalen. Insigne in illa Palladis templum, ejusque simulacrum memorat Pausanias, quod a Xerxe combustum, et ab Alexandro M. restitutum fuisse constat, docente lapide ab Eckhelio jam allato, in quo habes ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕ ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΑΘΗΝΑΙ ΤΗΙ ΠΟΛΙΑΔΙ. Noctuae symbolum Palladi maxime convenit, quemadmodum in Atheniensium moneta passim occurrit.

Caput Palladis galeatum fluentibus retro capillis.

ΠΡΙΗΝΗ

ΠΟΛΛΟΔ Intra coronam. Ær. 4. Tab. X n. 92.

De Pallade dictum est supra. Iste ob nomen magistratus, alter ob symbola nondum editus.

PRONAEI CEPHALLENIAE

Caput Jovis laureatum.

ΠΡ Ex litera Π dependet botrus. Ær. 3. Tab. X n. 93.

Hunc nummum egregie explicat Neumann. Parte II. pag. 157, qui eum primus edidit, et ad *Pronaeos* spectare merito statuit, quos inter quatuor Cephalleniae Populos enumerat Thucydides. Reliqui tres sunt *Pallenses*, *Cranii*, *Samaei*, quorum nummos vide suis locis. Pallenses pariter monogrammate utebantur in suis nummis, ut paulo ante vidimus. De templo Jovis Aenesii in Cephallenia, et de vuae ubertate, atque praestantia merito videnda quae ibidem adnotat Vir Eruditiss.

PRVSIAS AD MARE BITHYNIAE

Caput juvenile diadematum: ante faciem A

...ΟΥCΙΕΩΝ
ΤΩΝ ΠΡΟC Caduceus intermedius. Ær. min. Tab. X
ΘΑΛΑCCΗΙ n. 94.

Imago in adversa ad alterutrum Prusiam Regem referenda videtur, ac forte ad secundum ob faciem imberbem, et juvenilem.

Caput Herculis barbatum, et diadematum.

ΠΡΟΥCΙΕΩΝ
ΤΩΝ ΠΡΟC Clava, et pharetra. Ær. 2. Tab. X. n. 95.
ΘΑΛΑCCΗ

Hercules hujus Vrbis conditor, ob idque ejus imago, et symbola adjecta.

RAVENNA GALLIAE CISALPINAE

FELIX RAVENNA Protome Vrbis turrita.
Aquila fulmini insistens bina inter astra. In imo X. Ær. 3.

Vrbem hanc vetustate, et Exarchatu maxime celebrem praetermittere non debui, in cujus insigni Classensi Monasterio sacrae militiae me nomen dedisse, ejusque prima rudimenta posuisse, gratae mihi semper memoriae futurum.

RHAVCVS CRETAE

Caput Neptuni barbatum, et propria corona ornatum.
ΥΑϘ
ΚΙΩΝ Tridens inter duos delphinos. Ær. 3. Tab. X. n. 96.

Idem caput Neptuni.
ΡΑΥ
ΚΙΩ.. Tridens aream occupat sine delphinis. Ær. min.

Cum in hisce duobus nummis, caeterisque hujus Vrbis hactenus editis symbola omnia propria sint Vrbis maritimae, mirari subit, quod Rhaucum Stephanus de Vrb. appellet πόλιν ἐν μεσογείῳ τῆς Κρήτης, cui consentire videtur Polybius de Leg., ubi *Rhaucum* innuit proximam Cnosso, et Lyttiis, quae erant Vrbes ejusdem Insulae mediterraneae. Rem expendenti mihi illud deprehendi Stephanum nunquam alias in describendis singulis Cretae Vrbibus, sive maritimis, sive mediterraneis ea uti phrasi, sed ab illo semper unamquamque tantum nominari Πόλιν Κρήτης, quin addat locum, ubi posita esset. Ex quo mihi suspicio oborta est laud. Geographum haec hausisse ab aliquo vetusto Auctore, qui nominatim de Rhauco tantum mediterranea mentionem face-

ret, revera tamen binas in Creta ejusdem nominis Vrbes extitisse. Neque mea solum haec est conjectura, sed fuit etiam Cl. Edmundi Chishul. in Comment. ad Antiquit. Asiaticas p. 127, tum egregii Viri, qui ad Haymum notas adiecit. Scribit enim Parte II pag. 180 de nummo Rhauci argent. sermonem instituens = praestare forsan ob utriusque partis symbola mare potius spirantia, admittere duas Rhaucos, Aeliano lib. XVII cap. 35 suppetias veniente etc. Itaque Aelianum ipsum consului, atque inveni, non dubitanter, sed revera binas ab eo in eadem Creta Rhaucos Vrbes memoratas ex Antenore, qui in Tractatione Creticarum rerum haec habet = Rhauciorum Vrbem, ejusque cives, cum ab examine apum defixis aculeis infestarentur, nec earum impetum sustinere possent, solum mutasse, et in alium pervenisse locum, ibique condidisse Oppidum, quod similiter pristinae sedis amore Rhaucum in ipsa Creta nominarunt. = Quid luculentius hoc testimonio, ut certo jam fundamento unam, et alteram in Creta Rhaucum Vrbem agnoscamus, mediterraneam unam ex Stephano, et Polybio, maritimam alteram ex nummorum fide?

Cl. Eckhel. qui unam tantum Rhaucum mediterraneam admittit ex citatis verbis Stephani de Vrb. in Lib. Num. Vet. p. 155 Strabonis testimonium affert, qui de Apamenis Phrygiae disserens terrae motu graviter saepe afflictis ait: *verisimile esse, et Neptunum ab iis coli quamquam mediterraneis*. Sed praeclarissimus Vir perspectum non habuit Aeliani locum, ex cujus fide, aliud, ut arbitror, de Rauco nostra judicium pronuntiasset.

RHEGIVM IN BRVTTIIS

Caput leonis adversum.

RECINOS Retrograde per aream scriptum. Juppiter se-

dens, d. hastam; omnia intra lauream. Arg. 1. Tab. X. num. 97.

Inter vetustissima Vrbis Rhegli, quae In Bruttiis ad fretum Siculum e regione Messanae a Chalcidensibus extructa fuit, recensendum hoc numisma. Rhegium sic vocatum scribit Strabo, quod eo loco situm esset, quo Sicilia motu terrae ab Italiae continente abrupta fuit.

Caput bifrons femineum, modio intermedio.

ΡΗΓΙΝΩΝ In area Π, et monogrammata. Aesculapius sedens, d. baculum, cui involutus est serpens, s. respicit. Ær. 1. Tab. X. n. 98.

Magnanius Miscell. T. II. Tab. V. alium fere similem edidit, sed vidit caput bifrons in eo, qui sedet. In nostro unica Æsculapii facies clare agnoscitur, quem propterea delineatum exhibere placuit.

RHITHYMNA CRETAE

Caput Palladis galeatum.

Ρ Ι Tridente intermedio. Ær. min.

Ex Arigoniano in Incert. Tab. VIII n. 7, expressius vero ex Mus. Caesareo apud Eckhel. Num. Vet. pag. 155, haec Vrbs quandoque quatuor lit. inscripta legitur ΡΙΘΥ: inter duos delphinos, et cum capite Palladis galeatae; modo vero ex altero apud eundem praestantiss. V. ibidem cum tridente intermedio, duabus tantum literis, ut in hoc meo simili, eodemque capite Palladis sic Ρ Ι; quibus addendi jam tertius apud Khellium Appendicula II Tab. IV. n. 2, et alter apud Cl. Neumann. Parte I. pag. 247 Tab. VII. n. 11, cum eadem semper Palladis galeatae imagine, et unica lit. Ρ inter binos pariter delphinos, ut in primis duobus. Ita haec Vrbs maritima Cretae, quae adhuc manet, et inter claras ejus Insulae recensetur, nummis sex modo nobilitatur, quae antea incomperta. De singulorum patria Rhithymna, de qua

nullus superest dubitandi locus, illustrationem pete a laud. Eckhelio, et Neumanno.

RHODVS INSVLA

Caput juvenile radiatum, et insuper corymbis ornatum v. d.

ΡΟΔΙ ΙΕΝΟ
ΩΝ ΚΛΕΟC
ΕΠΙ ΧΕΥC

Victoria d. coronam, s. palmam gerit. Ær. m. m.

Magistratus nomen nondum editum, quod noverim.

Caput Bacchi, ut supra v. s. corona ex hedera, et corymbis intexta ornatum, atque insuper radiatum. Ante faciem signum incusum, in quo animalculum, ut videtur.

ΡΟΔΙΩΝ ΕΠΙ ΔΑΜΑΡΑΤΟV. Victoria sinistro pede prorae navis insistens, d. coronam, s. palmam gerit. Ær. m. m.

In autonomis pariter nondum editus magistratus iste. Vaillantius in Nerone mentionem habet ΔΗΜΑΡΑΤΟV, qui si idem putandus est cum nostro, ad ea tempora referendus nummus. Nota est Rhodiorum excellentia in arte nautica, quam exprimit Victoria navi insistens in aversa parte.

Caput Solis adversum.

ΜΝΑΣΙΜΑΧΟΣ ΡΟ Balaustium, et in area ad lat. s. Pallas galeata stans, d. victoriolam gestat. Arg. 2. Tab. X n. 99.

Figura Balaustii, ejusque forma in hoc integerrimo nummo clare depicta conspicitur, atque insuper signum Palladis Rhodios ostendit eidem tanquam victoriarum suarum adiutrici cultum exhibuisse.

Caput Solis radiatum ad d.

ΡΟ ΔΕΞΑΓΟΡΑΣ Balaustium in quadrato incuso, in imo hordei granum Arg. 3.

Vetustioribus accensendus.

Caput Aesculapii laureatum v. d.

ΡΟ In imo Balaustii, in area vero ad sin.

ΤΕ Ær. 3. Tab. X. fig. 100.

ΡΟΔΙΩΝ Caput Serapidis barbatum, et radiatum cum modio in vertice, d. respicit.

ΡΟΔ... Caput Apollinis cum radiis v. d. Ær. 3.

Vide Hunter Tab. XLV fig. 20.

Caput femineum adversum crinitum.

Flos Balaustii. Ær. 3.

Caput Apollinis radiatum ad. d.

Flos rosaceus in 4 partes sectus. Ær. 3.

R O M A

Caput femineum cum corona turrita.

ROMA Eques juvenili facie equum ad cursum incitans. Ær. 3. Tab. X. n. 101.

Alius, sed Eques flagrum d. vibrat. Ær. 3.

Caput muliebre cum stola ad pectus.

ROMA (sic) Juvenis pariter flagro currentem equum minatur. Ær. 3.

Caput imberbe galeatum ad d. respiciens.

ROMA Equus exultans superne in area clava. Ær. min. Nummus pulcherrimus.

Caput Martis galeatum, barbatum, pone glans inter duo quercus folia.

ROMANO Caput equi frenatum, in cujus colli extrema parte inscriptum Vrbis nomen. Pone spica. Caput respicit s. Arg. 2.

Sunt singuli elegantis artificii, et ab extera aliqua officina profecti, partim in Sicilia, partim in Campania, pro-

ximisque regionibus statuendi, ut inter Numismaticos constat. Iste non immerito ad Metapontum referendus videtur.

Caput Dianae revinctis duplici filo, ornatisque capillis.
ROMANO Leo gradiens. Ær. 2.
Vide Hunter Tab. XLVI. fig. X.

Nummus elegans, et ab eodem fonte profectus, a quo superiores. Typus aversae partis in nummis Veliae Lucaniae frequens. Testis est Cicero in orat. pro Balbo: *Civitatem Veliensibus datam fuisse*. Quid? si in beneficii memoriam ab iis editum hujusmodi nummum dicamus?

ROMANO Caput Palladis galeatum v. d.
ROMANO Equi frenati pars anterior. Ær. 3.
Vide Hunter Tab. XLVI. fig. XI.

In Sicilia cusus videtur. De hoc genere nummorum videndi Pellerinius, Neumannus, Eckhelius.

ΘЄΑΝ ΡΩΜΗΝ Caput Romae cum stola ad pectus, et in vertice binae turres: ante pectus Capricornus.
ΘЄΟΝ CVΝΚΛΗΤΟΝ Caput Senatus cum toga ad pectus. Ær. 3.
ΘЄΑΝ ΡΩΜΗΝ Caetera, ut in superiori, excepto capricorno. Duplex Ær. 3.

RHOSVS SYRIAE

Caput muliebre turritum, et velatum sine epigraphe.
ΡΩΣΕΩΝ
..ΗΣ ΙΕΡΑΣ
..ΑΙ ΑΣVΛΟV
...ΑVΤΟΝΟΜ
In imo Ε ΣΟΒ Anno CCLXXII
Deus Terminus utraque manu parvas metas sustinet, quae in acumen desinunt. Hinc inde Dioscurorum pilei, et Rosei scopuli. Ær. 3. Tab. X. n. 102.

Binos tantum hujus Vrbis autonomos perspectos habuerunt Bellejus, et Eckhel. Tertius iste, ex quo nunc primum innotescit ejus quoque titulus ΑVΤΟΝΟΜΟV, supplet praeterea suaeque integritati restituit duos alios, ut jam a Sestinio ex hoc nostro egregie factum Descript. N. V. p. 522. Primus est Hunterianus, in quo Cl. Combius legendum sibi videbatur.. ΡΣΕΩΝ.. ΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣVΛΟV *Terminus, ut videtur* etc. De eo merito dubia jam excitaverat Eckhel. sub Vrbe Tarso, ad quam illum Combius referebat, eo quod in ejus moneta nunquam tituli ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣVΛΟV additi inveniantur. Alter est Pellerinianus nostro simillimus, quem Cl. Auctor inter Tripolitarum nummos delineatum exhibet Pop. II pag. 226 Tab. LXXXII n. 35: sic autem se habet

......ΩΝ
..ΗΣ ΙΕΡΑΣ
..ΑΙ ΑΣVΛΟV
ΑVΤΟΝΟΜΟV

Deus Terminus utraque manu parvum idolum gestat, et sub eo duo parva signa supereminentibus astris. Si suppleas integram vocem ΡΩΣΕΩΝ, ut in nostro, et caetera symbola, quae in nummo illo detrito corrupta fuisse patet, vetante insuper spatio ad continendam vocem ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ, haud haerebis fateri nummum Vrbi Rhoso restituendum esse. Itaque haec Vrbs quinque autonomis jam nobilitatur, ut sileam de binis aliis Imperatoriis, qui hactenus editi.

Quod in nostro in d. gerit Deus Terminus pene evanuit, sed ex Pelleriniano ipso patet similem fuisse alteri, quod in s. cernitur, quodque parvae metae figuram exhibere mihi videtur. *Oppidum Rhosos*, inquit Plinius lib. V. cap. III, *et a tergo Portae, quae Syriae appellantur, intervallo Rhosiorum montium, et Tauri*. Scite igitur in nummo nostro Terminus Deus medius statuitur inter Rhosiacos montes cum symbolis, quae innuimus. Excluso ab ea Vrbe

inexpugnabili Tigrane, Pompejus M. illam liberam pronunciavit, ut refert Strabo lib. XVI. Hinc non immerito inferes titulos suprascriptos ab eo tempore huic Vrbi accessisse. Notae chronologicae, quae in hoc autonomo Rhosiorum conspiciuntur ab Aera Seleucidarum computandae, atque ad An. V. C. DCCXIV designandum positae dicendae sunt ex praecedenti autumno, ut multiplicatis ΣΟΒ CCLXXII ab A. V. C. Varr. CDXLII fit manifestum. Si enim ducendas velis a Pompejana, vel posteriori etiam, ut de duobus Imperatoriis faciendum, in Commodi tempora, vel ultra inciderent. In nummo autem Commodi habemus jam ω, ϒ, et C, Є sinuata. De Hunteriano autem recte jam ab Eckhelio huic Vrbi restituto, in quo ΔΩΣΕΩΝ ΕΤΟ ΗΜΡ Tab. 25. fig. XI, idem judicium ferendum puto.

De Vrbe Rhoso, de Rhosicis scopulis, deque Issico sinu, in quo sita erat, non longe ab Isso Oppidulo, quod celebre reddidit victoria Alexandri M. adversus Darium, videndi imprimis Strabo, Stephanus de Vrb., et Ptolemaeus. Mihi satis erit Ciceronis verba afferre, qui cum esset Ciliciae Proconsul, et ad Parthorum conatus retardandos in Amano monte, et circa ea loca, ubi Rhosus, ubi Issus, castra posuisset, et castella quaedam cepisset, gloriose de se, simulque jocose, more suo, ad Atticum scribens Epist. XX lib. V: *Imperatores*, inquit, *appellati sumus. Castra paucos dies habuimus, ea ipsa, quae contra Darium habuerat apud Issum Alexander, imperator haud melior, quam aut tu, aut ego*. Rhosiaca etiam vasa memorat Epist. I. lib. VI ad eundem Atticum, quae licet essent fictilia in pretio tamen habebantur. En alter ipsius jocus ibidem: *Rhosiaca vasa mandavi*, quae nempe Atticus ab eo petierat. *Sed heus tu, quid cogitas? In felicatis lancibus, et splendidissimis canistris, olusculis nos soles pascere: quid te in vasis fictilibus appositurum putem?*

SAGALASSVS PISIDIAE

Caput Jovis laureatum.
ΣΑΓΑ Hirci duo luctantes, intermedio tauri capite.
Ær. 3. Tab. X. n. 103.

Sagalassus una ex praecipuis Pisidiae Vrbibus, cujus nummi primum a Pellerinio editi, tum alter a Sestinio additus. In simili apud Pellerinium inter hircorum luctantium pedes cernitur parva arbor.

SALAPIA APVLIAE

ΣΑΛΑΠ.. Caput Apollinis laureatum.
ΠΥΛΛΟΥ Equus currens, superne in area tridens.
Ær. 2.

Salpia, vel Salapia, nam utrumque veteres scribebant, Vrbs Apuliae, Argyripensium, sive Arporum Navale, Strabone teste. In hoc nostro supplendum ΣΑΛΑΠΙΝΩΝ.

SAME CEPHALLENIAE

Caput adversum galeatum.
..ΑΜΑΙΩΝ supple ΣΑΜΑΙΩΝ Aries caduceo insistens.
Ær. 3.

Same Cephalleniae facile princeps. Adversae partis imagine Cephalum Insulae conditorem exprimi conjicit Haymius, a quo similis nummus, uno caduceo dempto, exhibetur Parte II. Tab. VIII n. 9. Ejus conjecturam, quam approbat Eckhelius, tam in Libr. D. N. V., quam Num. Vet., ob Arietem, quem Mercurio sacrum esse nemo ignorat, confirmat in hoc nostro caduceus; quod est peculiare ejus symbolum: Mercurium vero patrem extitisse Cephali tradit Apollodorus.

SAMVS INSVLA

Facies leonis adversa.

ΣΑΜΙΩΝ Bos dimidius jacens. In area hinc vas, inde spica Arg. 3. Tab. X. n. 104.

Hunc ipsum vulgatum invenies apud Sestin. Descript. Numm. Vet. p. 363. Plures jam editi fuerant nummi argentei cum bove dimidio, et initialibus literis Σ, vel ΣΑ in adversa parte, qui variam subierant fortunam, modo Sardibus, modo Salaminae Cypri, vel aliis Vrbibus adscripti. Ex integra voce ΣΑΜΙΩΝ in hoc nostro, et in altero etiam Mus. Hunteriani jam patet superiores omnes uni huic Vrbi restituendos esse.

ΣΑΜΙΩΝ Junonis pronubae statua cum tutulo in vertice utraque manu fulcris sustinetur.

Pavo adversa facie, et expansis alis stans, taenias, aliaque Junonis ornamenta, vel pro sacrificiis instrumenta gestare cernitur. Ær. 3. Tab. X. n. 105.

Peculiaris typus aversae partis Junoniam avem exhibens ministeriis Deae inservientem, de quo consulendi veteres mythologi.

Caput femineum.

ΣΑΜΙΩΝ Pavo stans. In area superne monogramma ex una parte, ex altera rota. Ær. min.

SAXVS CRETAE

Caput Jovis laureatum.

Ɛ Α
Ξ Ι
Ω Ν Tripus, supra quem fulmen. Ær. min. Tab. X num. 106.

Nummus iste diverso ordine ab editis a Pellerinio, et

Haymo scriptus, ut supra, habet insuper fulmen tripodi adjectum. Quod prima litera Ϲ in hoc nummulo, tripode intermedio, sejuncta sit a sequenti Α, eandem designandae potius lit. communi Σ, quam ad digamma exprimendum, exemplo aliarum Vrbium, ut Samiorum, Ascalonis etc. positam fuisse non iniuria coniicere licet, ideoque nummum de Saxo Vrbe interpretandum. Argumentum etiam ad hanc interpretationem praebet Lapis Cretensis, in quo Cl. Chisullus in Antiq. Asiat. p. 114. se legisse testis est ϹΑΞΙΩΝ in prima linea, deinde in seqq. ΣΑΞΙΩΝ, vel ΣΑVΞΙΩΝ, cum Σ nempe communi, quo digamma excluditur. Neque mihi sane tam facile suaderi sinam tantum Virum turpiter adeo errare potuisse, ut in iis locis, in quibus non eadem litera, sed duo dissimiles Ϲ et Σ, ita legeret loco ΝΑΞΙΩΝ, ut deinceps Chandlerus in eodem Lapide se vidisse testatur. Saltem putarem consulendum iterum marmor illud Cretense forte vitiatum, ut de vera, rectaque earum vocum lectione certius aliquid constare posset; idque praesertim faciendum, quod vix credibile videatur unam eandemque Vrbem tam diversa ratione inscribi potuisse, nempe ϹΑΞΙΩΝ, ΟΑΞΙΩΝ etiam ex fide nummi, quem refert Haymius Parte II p. 181, denique ΑΞΙΩΝ, quin ullum praemittatur digamma, aut O, si fides habenda Stephano de Vrb., qui solus *Axum Vrbem Cretae* nominat ex Herodoto lib. IV, apud quem tamen cap. 114 ex emendatioribus codicibus consentiunt jam omnes legendum esse ΟΑΞΟΝ, non ΑΞΟΝ. Adde nullum digamma unquam adhibitum ab aliis Cretae Vrbibus, quamvis earum plures a vocalibus incipiant, ut Arsinoe, Aptera, Eleuthernae, Olus etc. Nullum certe mihi perspectum exemplum, neque modo quo ad duplex, sed nec quo ad unum quidem digamma in usu ibidem receptum.

Quae cum ita se habeant, quamquam in suprascriptis nummis similes typi, et monogrammata se offerant, quae unam Axum, vel Oaxum indigitare videantur, cujus ta-

men simile exemplum obiectum video a praeclariss. Kellio apud Haym. cit. superius lib. II pag. 182, ex nummo ΕΡΕΣΙΩΝ Arigonii Tab. X. n. 97; nondum ea, quae a doctissimis novae opinionis assertoribus afferuntur, talia sunt, quae me in assensum pertrahant de nummo inscripto ΣΑΞΙΩΝ, de quo provocare mihi fas esse puto ad Lapidem iterum Cretensem, ut supra jam dictum est, pro lite definienda: an ΣΑΞΙΩΝ, vel ΝΑΞΙΩΝ sit retinendum.

SARDES LYDIAE

Caput femineum.

ΣΑΡΔΙ

ΑΝΩΝ Clava Herculis, et ⩚ in laurea. Ær. min.

Caput Herculis imberbe laureatum cum leonis exuviis ad pectus v. d. sine epigraphe.

ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Hercules nudus stans, d. clavae innititur, s. leonis exuvias sustinet. Ær. 3.

Caput Dianae ornatissimum cum pharetra ad humerum s.

.. ΑΡΔΙΑΝ...

ΑΚΑΙΑ...

ΜΚΑΙ.. Pallas galeata stans, d. victoriolam, s. clypeum retinet. Ær. 2.

Dolendum quod male habitus fuerit nummus, ubi honoris tituli continebantur, de quibus videndus prae caeteris eruditiss. Spanhem. T. I. p. 618, et seq., binos alios hujus generis ex Imperial. nummos fuse explicans. Quibus praeeuntibus, mutila inscriptio in nostro ita supplenda videtur ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΛΥΔΙΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ.

SELEVCIA PIERIAE

ΕΠΙ ΚΟΜΟΔΟΥ ΗΠΡ Caput velatum, et turritum v. d. pone palmae ramus.
ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ
ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ
ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟ Fulmen alatum supra mensam. Ær. 3.
ΜΟΥ
Alius similis, sed caput femineum sinistram respicit, ac retro palmae ramus. Ær. 3.

Plures alios similiter inscriptos, et cum eisdem notis se vidisse testatur Eckhel. D. N. Vet. pag. 325. n. 10. Apud Pellerin. tamen Pop. II. pag. 206 Tab. LXXX n. 71 legitur Ε ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ ΗΠΡ. Vtramque lectionem approbat Sestin. Descript. N. V. pag. 524. n. 10. Insolens quidem modus, quo scribitur praepositio ΕΠΙ per simplex Ε, idemque literarum numerus suspicionem excitat de aliquo detrimento, quo affecti fuerint Pellerinianus, aliique similes, praesertim cum in singulis eaedem notae chronol. ΗΠΡ legantur; sed si integritate praestet nummus a Sestinio descriptus, omnis plane scrupulus evanescet. Notanda lit. Ο forma quadrata inscripta.

ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Fulmen mensae impositum: intra pedes mensae ΔΛ An. XXXIV, et in area Θ. Ær. 3. Tab. X. n. 107.

Annus iste addendus caeteris, quos recensent laudati Eckhel., et Sestinius.

SIDE PAMPHILIAE

Caput Palladis galeatum.

ΣΙΔΗΤΩΝ Victoria gradiens, d. corollam gestat, s. pal-

mae ramum. In area malum punicum, quod est ipsius Vrbis nomen, et symbolum. Ær. min.

Side Pamphiliae maritima non ignobilis fere semper in nummis Palladis, et Victoriae imagines expressit, adiecto malo punico.

SIDON PHOENICIAE

Caput muliebre velatum, et turritum, pone A.

ΣΙΔϤΝΙU, et infra lit. phoeniciae. Superne

L ΔΛ Astarte navi insistens, d. gubernaculum, s. hastam crucigeram. Ær. 3.

Nummus proculdubio ad Sidonem spectat, sed aliquae lit a graecis diversae in nomine Vrbis. Quarta, et ultima, si Phoeniciae, differunt ab iis, quae in Catalogis reperiun- Similem 4 literae video in inscriptione Phoenicia nummorum apud Pellerinium.

Caput Bacchi corona hederacea ornatum.

L ϚΛP Anno CXXXVI

ΣΙΔΩΝΟΣ

Cista Bacchi: omnia intra similem coronam. Ær. 3.

Alius similis, sed L ΔΝP. Ær. 3.

Caput femineum.

ΘΕΑΣ Reliqua epigraphe Phoenicia. In area ϚΠP An. CLXXXVI Astarte in navi cum attributis. Ær. 3.

Caput velatum turritum.

HϤP An. CXCVIII ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ Navis. Infra literae Phoeniciae. Ær. 3.

Aliquae ex suprascriptis notis addendae Catalogo Cl. Eckhel. D. N. V. T. III. pag. 366.

Caput muliebre velatum, et turritum sine epigraphe.

ΣΙΔΩΝΟΣ ΙΕΡΑΣ ΖΚΣ Anno CCXXVII Astarte curru vecta. Ær. 2. Tab. XI. n. 108.

Caput, ut in praecedenti.

ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ ΗΚΣ Protome Deae Astarte in curru, ut in praecedenti. Ær. 2. Tab. XI. n. 109.

Vtrique nummi agmen claudunt monetae a Sidoniis percussae cum notis chronologicis. Spectant primae ΖΚΣ ad supremum vivendi, et imperandi tempus Trajani Opt. Principis; sequentes vero ΗΚΣ ad initia imperii Hadriani. Eaedem notae habentur in nummis etiam utriusque Imperatoris, de quibus vide quae a me afferuntur suo loco. Asserere oportet Sidonios deinceps a cudenda pecunia prohibitos fuisse. Sidone postea ab Elagabalo Phoenicio Principe Coloniae privilegiis aucta, ejus iterum moneta latinis literis magna copia in lucem prodiit, sed brevi illo extincto, sub successore Alexandro Sev. ea ipsa mox finem habuit. Cl. Eckhel. cit. lib. pag. 367, n. 57 inter autonomos unum recenset cum notis ΘΚΣ. Ex Typographi errore id factum puto, ut etiam infertur ex Catalogis Musei Caesarei, et Theup. apud quos notas illas descriptas minime reperire potui.

SICYON ACHAIAE

ΣΙ Chimaera. Supple ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ.
Columba volans. Dupl. Arg. 3.

Columba volans.
ΣΙ In medio coronae laureae. Ær. 3.

Caput Apollinis laureatum.
ΣΙ ΑΙΝΕΑΣ Columba volans. Ær. 3. Tab. XI n. 110.

Hunc, aliosque similes nummos Cl. Sestinius Descript. N. V. p. 193. Sicyoni Achajae adscribendos censet, quod in eo tractu magno numero reperiantur, repugnante tamen Eckhelio, qui eos cum Pellerinio, aliisque Siphno potius Insulae Cycladum tribuendos putat, cum alibi, tum D. N. T. II. p. 335. Verum Sestinio potius subscribendum censeo, quia idem oculatus testis est, et praeter illum Cl. Viri Chi-

sulius, et Turnefortius in Insula Siphno, quam singuli adierant, nullum ex hujusmodi nummis se reperire potuisse testantur, magnam vero copiam, et numerum iis in locis erui affirmant, quibus olim steterat magni nominis Vrbs Sicyon; cui quidem si hoc nummorum genus auferas, nulla esset pecunia publica, quam illa, dum erat sui juris, et omni rerum abundantia floreret, ex monetariis officinis emisisset. Quod tamen vix, ac ne vix quidem credibile videtur. Postremo idipsum mihi confirmavit Cl. Cusinerius dum in Vrbe versaretur. Quod autem de nummis cum lit. ΣΙ dictum est, id potiori jure statuendum de iis, in quibus cum eodem typo columbae legitur simplex Σ magnum. Nam, ut jam ab ipso Eckhelio adnotatum, Sicyonii, narrante Xenophonte Hist. lib. IV, clypeis suis lit. Σ inscribere consueverant, ut a caeteris, qui secum una in praelio essent, discriminarentur. Ex hoc igitur tam illustri, et domestico Sicyoniorum exemplo jure inferes hujusmodi nummos uni huic Vrbi potius adscribendos esse. Vide Sestin. sub hac Vrbe, et Eckhel. in Vrbe Siphno, ubi certos hujus Insulae nummos inscriptos invenies ΣΙΦ, ΣΙΦΝ, etc.

SILANDVS LYDIAE

Caput femineum laureatum: ante lauri ramus.

ϹΙΛΑΝΔЄΩΝ Mercurius nudus stans, d. crumenam, s. caduceum, simulque vestem involutam sustinet. Ær. 3. Tab. XI n. 111.

Paucissimis autonomis hujus Vrbis hactenus editis, sed cum diverso typo, iste adjiciendus. In Notitiis Silandus inter Lydiae Vrbes recensetur. Vide prae ceteris Sestinium Descript. Num. Vet. p. 439.

SINOPE PAPHLAGONIAE

Caput Jovis laureatum.

ΣΙΝΩΠΗ Aquila alis expansis fulmini insistens. In area monogramma ⩚ · Ær. 3.

Caput juvenile Persei Herois orci galea tectum.

Aquila alis expansis fulmini insistit. In area, et in imo monogrammata, ut in schemate. Ær. 3. Tab. XI. fig. 112.

Ob aquilae typum praecedenti plane similem, eandemque fabricam, quodque in nummis Regum Macedoniae cum simili Persei capite, nunquam Regis nomen omittatur, ut in iis praecipue Philippi V apud Sestin. qui quamplurimos ejusdem Regis nummos recenset Descript. N. V. hunc Sinopi Paphlagoniae Vrbi clarissimae, Milesiorum quondam Coloniae adscribendum existimo. De Perseo autem Heroe, deque duplici integumenti genere, quo ejus caput in nummis ornatum cernitur, modo pileo phrygio, modo Orci galea, qua de re nondum inter Numismaticos convenit, vide quae certo definiuntur ex praeclaro numismate Iuliae Domnae sub Vrbe Amasia in Serie Imp.

SMYRNAE IONIAE

CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC Protome Cereris velata, d. spicas, s. cornucopiae gestat.

ЄΠ C M AVP TЄPTIOV ACIAPXOV Amazon turrita habitu brevi, d. pateram, s. bipennem, et peltam gerens stat pede d. prorae navis imposito. Ær. 1. Tab. XI. n. 113.

De imagine Cereris in anteriori parte merito videnda, quae egregie adnotat Pellerinius Mel I. pag. 64, ubi etiam explicata invenies quae ad aversam partem spectant.

ΑΝΘΥ ΦΡΟΝΤЄΙΝΩ ΣΜΥ Caput muliebre turritum pectore tenus.

ЄΠΙ ΜΥΡΤΟΥ CΤΡΑ ΡΗΓЄΙΝΟC Figura muliebris habitu brevi, et cum cothurnis stans, d. hastam, s. bipennem, simulque chlamydis fimbriam involutam sustinet. Ær. 2. Tab. XI. n. 114.

ΑΝΘΥ ΦΡΟΝΤЄΙΝΩ Caput Herculis barbatum.

ΡΗΓЄΙΝΟC ЄΠΙ ΜΥΡΤΟΥ Imago fluvii virilis barbata facie decumbens, cubito s. urceo innititur, d. frondem aquatilem, sive arundinem gestat. Ær. 3. Tab. XI. fig. 115.

In utroque ex his nummis clarissime legitur ΦΡΟΝΤЄΙΝΩ cum Ο in tertia lit. cujus loco scriptum video apud Pell. Pop. II pag. 84 Ω, haud recte, ut puto. Apud Hunter vero in simili pag. 276. n. 18 in fine nominis substituendum Ω, ubi habetur Ο. In secundo, qui idem est cum eo, quem delineatum exhibet Arigonius in Ser. Vrb. Tab. XX. fig. 197 distincte legitur ΑΝΘΥ cum Θ, non ΑΝΟΥ cum Ο. Ex quo evanescit suspicio omnis de lectione ΦΡΟΝΤЄΙΝΙΑΝΟV, quam proponit Eckhel. sub hac Vrbe D. N. V. Tom. II p. 557. Recte autem jam adnotatum a laud. Eckhel. imaginem in secundo, aliisque similibus esse Herculis, non vero Proconsulis Frontini, ut Sponius censuit, aliique, inter quos praecipue nominandi Editores Sex. Frontini Stratagematum Lugduni Batav. anni 1731, qui hunc ipsum nummum tanquam Auctoris imaginem referentem in fronte editionis suae praemiserunt. Ac revera, ut modo omittam antiquitus vetitum fuisse, ne privatorum, dum viverent, imagines insculperentur in publica moneta, qua de re a me fuse actum in Dissert. de Numismate Magnesiae Lydiae M. Tullii Ciceronis, cum Frontinus Trajani O. Principis tempore floruerit, quo barba minime alebatur, hinc excluditur imaginem de qua agimus ad ipsum pertinere posse. Adde vero ex bene notis characteribus de Herculis vultu, eundem vivum, et

expressum in his nummis exhiberi. Itaque etsi de altero Frontino Proconsule ab eo notissimi operis de Aqueduct. illustri Auctore diverso, suspicari quis vellet, allatis de causis nihil proficeret pro illius imagine in nummis, de quibus agimus, adstruenda.

Tandem quod in primo ex descriptis legatur CTPA PHΓЄI-NOC ad ejus magistratum designandum, plane evertitur eorum opinio, qui in nomine Regini ignotum quoddam Smyrnaeorum fluvium inducendum sibi suaserant, ac mirifice confirmant ea, quae adversus falsam illam conjecturam, tum de aliis similibus exemplis fluv. *Clari*, *Maronis* etc. in quibus duplex Smyrnaeorum magistratus admittendus, copiose, eruditeque probavit Cl. Pell. Pop. T. II p. 84, et seq. Alias in nostro scriptum de more fuisset: ЄΠΙ CTPA MYPTOY.

Caput Senatus vitiata epigraphe.

.... NЄIKIANOV CMYPN.... Nemesis alata, et stola talari insignis, d. cubito vestem ante pectus elevat, s. frenum sustinet. Ær. 2.

Supple ex editis ΣΤΡΑΤΟΝЄΙΚΙΑΝΟV. Conspicua sunt in hoc nostro Nemesis symbola praecipua, alae in primis, quae raro in Smyrnaeorum moneta occurrunt, de quibus propterea dubitabat praestantiss. Montfauconius, quod nunquam hanc Deam alatam vidisset. Sed noster alterum confirmat Musei Caesarei apud Eckhel. memoratum; vestis praeterea ante pectus diducta, frenum denique, quod ante pedes sustinet Nemesis. De hisce symbolis vero, ne hic plura commemorando actum agam, videnda in primis, quae praeclare animadvertit idem Eckhel. Doctr. N. V. T. II. p. 549.

ZЄVC AKPAIOC Caput Jovis laureatum v. d.

ΣMYP ΠANIΩNIOC Figura muliebris stans habitu brevi, d. ramum, s. arcum, et sagittam, d. pede prorae navis insistit. Ær. 2.

Antiquis temporibus conventus, et festa, quae Panionia vocabantur a IX Vrbibus inter se societate conjunctis

primum instituta, si Diodoro fides habenda; a XII vero, quot enumerat Aelianus, apud Mycalen prope Prienen Vrbem agebantur. Eidem conventui postea adscriptam quoque fuisse Smyrnam testatur Strabo lib. XIV. Hinc habemus nummos inscriptos ΚΟΙΝΟΝ ΙΓ ΠΟΛΕΩΝ etc. Figura, quae prorae navi insistit ad eum conventum profectura videtur. Istud prorae symbolum omittitur in simili apud Pellerin. Pop. Tom. II Tab. LVIII. n. 59.

Caput muliebre turritum intra lauream.

.. ΥΡΝΑΙΩΝ

ΑΠΟΛΛΩΝΙ.. Figura muliebris stolata, et tutulata stans, d. hastam oblongam, s. victoriolam gestat ad ejus faciem conversam cum corona, columellae innititur cubito sin.: in area parva columba. Ær. 3.

Alius similis, sed pone caput turritum flos, et in aversa nomen magistratus ΠΑΤΟΥΚΟΣ. Ær. 3.

Caput juvenile laureatum fluentibus retro capillis in cincinnos contortis.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ

ΠΟΤΑ

ΜΩΝ Vir barbatus palliatus sedens, dextra ad mentum admota, sin. volumen, et ante crura scipionem, vel potius baculum, et leviter quidem nodosum retinere conspicitur. Ær. 2.

Alius similis, in quo nomen magistratus ΒΟΥΛΑΡΧ... Ær. 2.

Alius, in quo ΑΘΗΝΑΓΟΡΑΣ
ΚΟΡΥΜΒ, et in area astrum. Ær. 2.

Alius, in quo ΔΙΟΝΥΣ... Ær. 2.

Alius, in quo ΑΝΤΙΚΡΑΤ
ΚΑΛΛΙΟΥ. Ær. 2.

Merito Eckhel. Doctr. N. V. T. II, praeeunte Wisio, contra Richardum Meadium Anglum statuit in similibus nummis nomina, quae occurrunt non esse Medicorum, quo-

rum profecto numerus nimium excresceret, ut patet ex his etiam nostris, sed esse nomina magistratuum, quae quidem in moneta publica Smyrnaeorum locum perpetuo habuisse certum est. De Medicis vero vix aliquod exemplum in aliarum Vrbium nummis invenies, sed addita tamen effigie, ut Xenophontis in Coensium moneta. Homerus praeterea, non Aesculapius certis argumentis in aversa parte expressus fuisse probatur, referente Strabone lib. XIV: *Smyrnaeos caeteris pertinacius poetam sibi vindicare, aeneorum etiam nummorum quoddam genus ab iis Homereum vocari*. Plura vide apud laud. Eckhel. De imagine anterioris partis, quae in Homereis nummis cernitur in varias abeunt sententias Numismatici; nam alii in ea faciem virilem agnoscunt, alii femineam. Ego equidem feminilia lineamenta videre videor, quod idem accidit Eckhelio in integerrimis aeque Musei Caesarei nummis. Sit ne vero Calliopes Musae, quae libris heroica mandat, ad divinam Homeri poesin celebrandam ea effigies expressa, coniicere licet, definire non ausim.

CMYPNAIΩN Victoria gradiens cum corona, et lauri ramo.

ΜΕΛΗC. Figura fluvii juvenilis, et imberbi facie jacens, d. arundinem, sin. cubito urceolo innititur aquam vomenti. Duplex Ær. 4. Tab. XI. n. 117.

In hisce duobus parum diversis, et in altero Pelleriniano Pop. T. II p. 92. Meles fluvius specie admodum juvenili exhibetur, et recte quidem; Plinius enim lib. V cap. XXIX de eo haec habet: *Ab Amazone condita, restituta ab Alexandro Smyrna, amne Melete gaudens non procul orto.* Quod ergo in finibus ejusdem Vrbis ortum haberet, merito juvenis, et imberbis depingitur. De altero barbata facie, et virili corpore, vide in Imperat. sub Tito.

ΑΔΡΙΑΝΗ CMYPNA Caput muliebre turritum v. s. pectore tenus,

ΘЄVΔIANOC ANЄΘ... Leo stans, s. pede rotae imposito, d. respicit. Ær. 3.

Caput, ut in superiori v. d.

ΘЄYΔIANOC ANЄΘHKЄ Gryphus s. pede rotam sustinens. Ær. 2.

CMYPNA Protome Amazonis Smyrnae capite turrito, hum. d. bipennem gestans.

CMYPNAIΩN Nemesis alata, et stolata stans, d. vestem ante pectus elevat., s. sceptrum gerit, ante pedes rota. Ær. 3.

De Nemesum symbolis diximus supra. In hoc insuper additur sceptrum.

Caput muliebre turritum.

ΣMYPNAIΩN

ΔIΟΓΞNH... Candelabrum taeniis ornatum, in quo Ignis ardens. Ær. min.

Ab Hadriano Vrbem Smyrnam maximis beneficiis affectam fuisse res est explorata. Hinc merito a Smyrnaeis appellatur KTICTHC, et ΣΩTHP, ut ex monumentis constat. Cum bini isti nummi typos Vrbis Smyrnae obvios exhibeant, nihilque peculiare offerant, quod Hadriano dedicatum fuisse doceant, ac inter se differant, tum etiam a Pelleriniano, qui est sine rota, jure inferri posse videtur vocem ANЄΘHKЄ interpretandam esse de varii generis nummis a Theudiano editis in Hadriani honorem, quodque ob beneficia Vrbs illa ejus nomen sibi sumpserit grati animi ergo. De hoc argumento disserentem consule Eckhel. D. N. V. T. IV p. 368.

STRATONICEA CARIAE

Caput Dianae v. d. cum luna bicorni in summo vertice.

ΣTPATO
NIKEΩN Victoria gradiens versus d. cum corolla in de-

xtra pariter manu, et palmae ramo ad hum. s. Ær. 3. Tab. XI n. 118.

Caput Jovis laureatum.

ΣΤΡΑΤΟ

ΝΙΚΕΩ.. Aquila taedae insistens. Ær. min.

In primo pars adversa simillima prorsus, ac in duobus argenteis conspicitur, quos affert Sestinius Epist. T. IV pag. 118, tum Descript. N. V. p. 379, cujus propterea interpretatio de hac Vrbe confirmatur, licet ejus nomen duabus tantum literis initialibus constet CT. In secundo autem Jovis, et Hecatis cultus simul jungitur, ac merito quidem. Nam, teste Strabone, ea duo Numina apud Stratoniceam majori in veneratione habebantur, quam caeteri Dii. Erat tiam ibidem Jovis templum a tota Caria frequentatum. De Hecate vero habemus ejusdem Vrbis nummos cum ara ignita inter duas taedas ardentes.

SVESSA CAMPANIAE

Caput Apollinis laureatum, retro vuae racemus.

SVESANO Vir nudus eques, d. alium equum ducit cum palma ad hum. d. et taeniis. Arg. 2.

ΠΚΟΚΟΜ Caput Mercurii cum petaso.

SVESANO Hercules nudus leonem Nemaeum interficiens, intra pedes clava. Ær. 3. Tab. XI. n. 119.

Notanda forma lit. K quae capiti Mercurii adiectae, ut supra, et in schemate. Varia sunt hujusmodi vocabula inscripta, ut ΠΡΟΚΟVΜ, ΠΙΚΕΟVΜ, ARBOVM etc., de quibus vide Eckhel. T. I. D. N. V. pag. 116: qui iisdem magistratus nomina osca lingua contineri existimat, sed incertum puto. Exemplum vero, quo utitur Cl. Vir ex nummo Beneventi, in quo suspicatur legendum pariter ΠΡΟΚΟΜ dissimile est. In meo namque quarta lit. eadem est cum prima, ut suo loco

diximus. Suessam hanc Auruncorum esse Campaniae, non autem Volscorum Pometiae nummi ipsi manifestant.

SYNNADA PHRYGIAE

Caput muliebre turritum.

ΓΥΝΝΑΔЄΩΝ Pallas galeata stans, d. extensa, s. hastam, ad pedes clypeus. Ær. 3.

Supple primam lit. Σ, quae cum aliis intermediis scalpro vitiata de anecdota Vrbe sibi venditor gloriabatur. Hinc ferro abstinendum, quantum fieri possit, in detergenda nummorum aerugine. Vide similem apud Pellerinium.

Caput muliebre turritum, ut in praecedenti.

ΣΥΝΝΑΔ
ΜΕΝΕΣΤΡΑ
ΤΟΥ Juppiter stans, d. fulmen, s. hastam gerit. Ær. 2.

Confirmat iste in nummis Pellerinianis Pop. T. II Tab. XLVII n. 75, et 77, qui in aversa parte duabus orizontalibus lineis sic inscribuntur ΣΥΝΝΑΔ ΜΑΙΑΝΔΡ ΣΥΝΝ ΑΔΜΗΤ superiorem versum de Vrbe Synnada interpretandum esse, subsequentem vero de magistratu aeque in secundo, ac in primo nummo, neque enim titulus Metropolis illi Vrbi convenire potest, ut praeclariss. Vir suspicabatur, et recte jam ab Eckhelio animadversum in hac Vrbe. Civitas erat majoris Phrygiae in planitie jacens eximii lapidis fodinis celebris, ex quibus magnis Romanorum sumptibus ingentes columnae extrahebantur ad ornatum Vrbis, luxumque potentiorum. Vide de ea Strab. lib. X. Apud Sestin. Descript. N. V. in simili legitur ΜΕΝΕΣΤΑΤΟΥ, Typographi vitio fortasse, omissa Ρ, quae ex nostro propterea supplenda.

SYRACVSAE SICILIAE

ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ Caput Arethusae, in cujus fronte scriptum
KI
M idest ΚΙΜΩΝ auripendentibus, et monili ornatum, crinibus vitta, et reticula elegantissime inclusis, inter quatuor delphinos. In margine vestigia ejusdem epigraphes sic ΑΚΟΣ recusa.

Vir citatas equorum quadrigas agit supervolitante Victoria, quae ejus capiti coronam impositura utraque manu sustinet. In segmento nummi scriptum victoris nomen ΚΙΜΩΝ; infra Panoplia, idest *Hasta*, *Cassis*, *Ocreae*, *Thorax*, et *clypeus*: in imo ΑΘΛΑ, idest praemia certaminis. Arg. m. Tab. XI. n. 120.

Hujus generis numismata argentea Syracusanorum caetera omnia artificio, et pulchritudine superant; hoc vero nostrum prae caeteris integerrimum. Illud editum invenies a Sestinio Descript. N. V. sed in eo omissum nomen ΚΙΜΩΝ in fronte Arethusae. Praeterea in autographo vox ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ scribitur cum Ω postremo loco, et Victoria utraque manu non duplicem palmae ramum, sed coronam gestat. Caeterum recte animadvertit nihil auratos currus commune habere cum bellicis certaminibus, ac victoriis. Sed quadrigis, trigis, bigis etc. certari consuevisse in Olympicis, aliisque publicis, sacrisque ludis. Nunc equitis Rushout ex Proceribus Northvich. Angli, a quo ejus loco praestantes, singularesque Vrbium liberarum nummos accepi. Eundem non semel a me honoris causa nominatum invenies.

De Syracusis olim Siciliae primaria Vrbe opulentissima, atque omnium ingenuarum artium laude clarissima non est, cur hic verba faciam, cum id nemini non sit exploratissimum.

ΣYRAKOΣION Caput Arethusae cum corona ex margaritis contexta inter quatuor delphinos.

Vir trigas agens, supervolitante Victoria ad equorum capita. Arg. 1.

ΣYΆA Caput Arethusae cum monili, inauribus, et corona ex margaritis contexta.

Polypus. Arg. min.

Superior ob epigraphen cum lit. O loco Ω; iste vero cum R inversa, ut supra loco P inter vetustiores Syracusarum merito recensendi.

ΣYPAKOΣIΩN Caput Apollinis laureatum, pone lauri ramus.

Mulier oblonga, et sinuata veste citas agens equorum bigas. Superne astrum, et lit. T, in imo monogramma Ʌ. Ær. 2. Tab. XI. n. 121.

Nummus cum capite Palladis galeatae delineatus Tab. XI n. 122 inter spurios reiiciendus.

ΖEYΣ EΛEVΘEPIOΣ Caput Jovis Liberatoris laureatum.

Equus liber, exultansque cum nomine Vrbis. Ær. 1.

ΔIOΣ EΛΛANIOV Caput imberbe laureatum.

ΣYPAKOΣIΩN Aquila fulmini insistens. In area A. Ær. 2. Tab. XI. n. 123.

Caput imberbe laureatum sine epigraphe.

ΣYPAKOΣIΩN Aquila fulmini insistens, et in area A. Ær. 2.

Si faciem in utroque respicis ea imago ad Apollinem referenda videtur. Epigraphe vero, quae Jovem Ellanium, sive Graecorum exprimit, tum caetera signa unum Jovem indigitant. Non caret exemplis, quod Juppiter olim etiam imberbi facie pingeretur. Tale fuisse simulacrum Vejovis ex A. Gellio infertur, qui lib. V notat hunc Deum a plerisque Apollinem vocatum. Plura vide apud Eckhel. D. N. T. I pag. 244.

Caput Jovis diadematum, et rigenti barba.

ΣΥΡΑΚΟCΙΩΝ Mulier tutulata, et stolata stans, d. sistrum, s. hastam gerit, cujus suprema pars minime cuspidata, sed duabus per transversum lineis ornatur. Ær. 3.

Similis alteri, quem delineatum exhibet T. M. Tab. LXXX. n. 11, qui unicus est in tanta nummorum Syracusanorum copia, qui hactenus sinuatum sigma exhiberet, propterea ab Eckhelio ob id memoratus. Aversae partis symbola Isidem loquuntur, ex quo inferes, praeter Catanenses in Sicilia, Syracusas quoque ab Ægyptiis ritibus minime alienas extitisse.

ΣΥΡΑ Caput femineum ad s. respiciens.

Quadratum incusum, in quo circulus parvo ipsum pede sustinente, in cujus medio altius impresso astrum. Ær. 3.

. . . . ΡΑΚΟΣΙΩΝ Caput Apollinis laureatum ad s.

Triquetra singulis pedibus alata. Ær. 3.

. . . ΥΡΑΚΟΣΙΩΝ Caput juvenile crispis capillis filo, sive diademate ornatum sin. vers. pone astrum.

Leo gradiens, et anteriorem pedem sin. attollens, superne vero in area Herculis clava. Ær. 2.

Alius, sed nomen Vrbis scriptum retrograde. Ær. 2.

Aversa pars eadem plane, quae cernitur in nummo arg. Pembrockiano Part. II Tab. 78, nisi quod in eo infra adiicitur vox ΣΩΣΙΣ, ut etiam in simili apud Cl. Turremut. Vtrum imago ad Gelonem sit referenda, ut placet Eckhelio, et utrum vox ΣΩΣΙΣ de Sosistrato interpretanda sit, qui Agathoclis tempore principatum Syracusis aliquo tempore tenuisse fertur, mihi incertum. Apud Livium Dec. III lib. VI, ubi M. Marcelli triumphus de captis Syracusis describitur, idem nomen *Sosis* Syracusanae Familiae memoratum video. Sic enim habetur: *non minimum fuere spectaculum cum coronis aureis praecedentes SOSIS Syracusanus, et Mericus*

Hispanus .... His ambobus Civitas data: quingena jugera agri SOSIDI in agro Syracusano etc. Alii quoque in nummis Syracusanis casu recto memorantur, ut ΚΙΜΩΝ, ΛΕΥ. ΚΑΣΠΙΣ, etc. Nihil ergo de hoc nummo mihi definiendum sumo. Caeterum quod ad Gelonem attinet, si ejus nummi cum diademate longe posteriori aetate ab ejus obitu editi dicendi essent cum Eckhelio, Spanhemio, aliisque, Gelo dum viveret nulla a Syracusanis pecuniae publicae testificatione honestatus fuisset, quamvis ab iis summo in honore, et amore haberetur ob ejus summam justitiam, moderationem, caeterasque virtutes, nec minus praeterea ob insignem victoriam, quam de Amilcare Poenorum Duce, ejusque ingenti exercitu reportaverat, quas ob causas regium nomen a suis civibus promeruit. Saltem nummi aliqui modo haberentur sine diademate adiecto, qui certo eidem convenirent, quod minime constat; nam de aureo Goltzii nulla habenda ratio, ut notum est. Adde eodem adhuc vivente ab ejus uxore Damareta ob pacem, quam ejus opera consecuti fuerant Poeni, ex dono eidem ab ipsis oblato coronae aureae C. talentorum. mox conflatam pecuniam fuisse, ut Diodorus testatur lib. XI. Itaque ut caetera hic omittam argumenta, libenter assentior clariss. Turremut., et Neumanno, qui cum compertum haberent, Plinio teste lib. VII: *diadema regum insigne a Baccho* inventum fuisse, atque Homericis etiam temporibus in usu fuisse, vocarique tum σεφάνην, illudque insuper ex vetust. monument. Paridi oblatum fuisse pro auspicio futurae ejus potentiae a Pallade, si sibi in judicio faveret: Syracusas vero sub Initium Vrbis Romae conditas fuisse, et apud eam Vrbem ingenuas artes maximo studio statim excultas fuisse, et ad summum perfectionis fastigium brevi pervenisse, his aliisque de causis a veteri sententia sibi minime recedendum putarunt, pro certo habentes, quod et ipse mecum antea statueram,

Gelonis, et Hieronis nummos eo tempore signatos fuisse, quo illi regnum tenuerant.

TALETVM LACONIAE

Caput virile vitta sacerdotali, sive diademate ornatum.
ΛΟΓΓΟCΤΑ
ΛΗΤWΝ Tripus, supra quem vas ansatum. Ær. 2.

Pellerinius, a quo primum editi hujusmodi nummi, epigraphen dividit in binas voces ΛΟΓΓΟC, et ΤΑΛΗΤWΝ, tribuitque Vrbi Laconiae, quae imposita erat vertici montis Taygeti, teste Pausania, a quo tamen scribitur ΤΑΛЄΤΟΝ per Ε. Cl. Barthelemyus apud eundem Pellerin. Suppl. IV p. 91 testatur hujus generis nummos non paucos in finibus Tolosatium repertos fuisse, pluribusque argumentis eos avocare nititur a Laconiis, et ad hanc Galliae provinciam referre, sed nihil profecisse mihi videtur. Merito videnda quae ibidem respondet Pellerinius. Illud hactenus pro certo affirmare licet: esse nummos hujusmodi barbarae admodum fabricae, atque optandum, ut monumenta in lucem prodeant, ex quibus fas sit de hujus Vrbis origine, et loco aliquid certius definire.

TARENTVM CALABRIAE

Caput Palladis galea ornatum, in qua monstrum facie, medioque corpore humano, brachiis extensis: anteriori parte pro pedibus bina habet porrecta serpentum capita cristata; posteriori vero in unius serpentis caudam desinit.

.... ΝΟΚΡΑΤΗΣ In area ΤΑ. Noctua capitello insistens. Arg. 3.

Supplendum ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ, vel ΔЄΙΝΟΚΡΑΤΗΣ, ut in

editis. Peculiare quid offert monstrum, ut supra descriptum.

Caput femineum diadematum egregii artificii, quo Veneris imago exprimitur.

TA Eques gradiens, superne astrum, inter equi pedes delphinus. Arg. 2. Tab. XI. n. 125.

TAPAN Vir nudus delphinum inequitans, d. extensa arcum, vel quid simile gerit, s. cornucopiae. In area B. Concha marina. Ær. min. Tab. XI. n. 124.

Alius, sed Vir inequitans diotam manu d. sustinet. Ær. min.

Tarentum Calabriae Vrbs maritima opibus, ac magnificentia inter praecipuas Graeciae Vrbes numeranda. Ejus nummi aenei paucissimi. Tarentinae Vrbis uberrimam monetae omnis generis seriem quam primum editurus est, eamque praeclaro commentario illustraturus Cl. Franciscus Carellius Neapolitanus, quem hic honoris causa nominatum volo.

TARSVS CILICIAE

Caput femineum velatum, et turritum.

ΤΑΡΣΕΩΝ Basis cum pyramide eidem imposita, in qua quadrupes inter binas arulas stans, eique insistit figura, ut in primo ex duobus Pellerinianis editis. Ær. 2.

Variae sunt de hoc typo conjecturae, de quibus consule Eckhel. sub hac Vrbe. Tarsus Ciliciae Metropolis nobilissima ad Cydnum fluvium.

TAVROMENIVM SICILIAE

Caput Bacchi hedera coronatum.

ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ Bacchus stans, d. pateram, s. thyrsum: ante pedes canis, sive panteriscus. Ær. 2.

Tauromenium Siciliae, cujus extant non pauci nummi.

TEGEA ARCADIAE

ΤΕΓΕΑΤΑΝ Sacerdos puella media inter Heroem galeatum, et Palladem pariter cum galea, vas elevat pro crine e Medusae capite detonso excipiendo. In area monogrammata, ut in schemate.

ΑΛΕΟΣ Caput Regis Alei galeatum. Ær. 2. Tab. XII. fig. 126.

De hoc nummo diximus in Serie Regum Arcadiae. In ea sita erat Tegea, apud quam celebre templum Minervae Aleae, a Rege Aleo extructum. Hinc nummi cum capite Palladis galeatae, et in aversa cum noctua capitello imposita, et epigraphe ΑΘΑΝΑΣ ΑΛΕΑΣ Dorice, non Athenis Atticis, ut apud Arigonium, aut Aleae nescio cui Vrbi, ut Cl. Khellio visum, sed huic Oppido Arcadiae, praeeunte Haymio Parte II. pag. 7, adscribendi videntur, exemplo eorum, in quibus legitur DIANA LAPHRIA, APOLLO SMINTHEVS, DIANA PELCEA etc., qui singuli non Vrbi cognomini, sed aliis diversis tribuendi, a quibus in honore ea numina peculiarem in modum habebantur.

TIVM BITHYNIAE

ΤΕΙΟϹ Caput juvenile conditoris Tii vitta ornatum. ΖΕΥϹ ϹΥΡΓΑϹΤΗϹ Juppiter stans, d. pateram, s. hastam, ante pedes aquila. Ær. 2. Tab. XII. n. 127.

Ad discrimen caeterorum, qui hactenus ex autonomis editi, caret iste Vrbis nomine, et in aversa parte Jovem exhibet proprio apud Tianos nomine CYPΓACTHN appellatum, quem cooperatorem, sive adiutorem suum hoc vocabulo significare voluisse nemo in dubium revocabit. Titulus ille in nummis Imperatorum ejusdem Vrbis non infrequens. Tium erat Vrbs maritima ad Billaeum fluvium in Paphlagoniae finibus a Tio sacerdote, genere Milesio condita, de quo vide Stephan. de Vrb. De Vaillantii, et Harduini errore quo ad suprascriptam vocem CYPΓACTHC, adi Eckhel. de D. N. V.

TERINA BRVTTIORVM

TEPINA... Retrograde scriptum. Caput Feminae diadematum.

Victoria alata, nudoque pectore in basi quadrata sedens, d. caduceum erectum tangit. Arg. 2.

Terina in Bruttiis ad oram Tyrrheni maris, et ad amnem ejusdem nominis a Crotoniatis condita, atque ab Hannibale eversa.

TERMESSVS PISIDIAE

... HCCЄΩN Caput Jovis promissa barba, et laureato capite. Infra Δ.

... ЄIZONΩN Hygia, et Æsculapius stantes cum attributis, inter quos Telesphorus. Ær. 1. Tab. XII. n. 128.

MЄIZONΩN Pallas galeata stans, d. victoriolam, s. hastam, ad pedes clypeus.

ZЄYC COΛYMЄYC Juppiter seminudus sedens, d. victoriolam, s. hastam. Ær. 2. Tab. XII. n. 129.

TЄPMHCCΩN Caput galeatum Herois Solymi barba rigenti, et cum aegide anaglyphis ornata in pectore.

COΛYMOC Idem Heros capite galeato sedens, d. scipionem. Ær. 2. Tab. XII. n. 130.

Singuli hi nummi peculiare aliquid exhibent, de quo nondum ab aliis mentio facta est. Primus innuit cultum Hygiae, et Æsculapii apud Termessum Vrbem Pisidiae, quae *major* vocabatur, ad discrimen alterius ejusdem nominis, quae Stephano teste *minor* dicebatur. Sed quod praecipua notatione dignum, ex secundo novus accedit Jovi titulus, in tertio vero nunc primum expressam Solymi Herois imaginem intuemur. Stephanus de Vrbibus: *Pisidia*, inquit, *et Pisidae, qui prius Solymi a Solymo Iovis, et Chaldenae filio*. ΠΙΣΙΔΙΑ, οἱ πισίδαι, πρότερον Σόλυμοι ἀπὸ Σολύμου τοῦ Διός, καὶ χαλδήνης. Plinius etiam lib. V C. XXVII: *Insident verticem Pisidae, quondam Solymi appellati*. De Termesso autem Strabo lib. XIII prope finem sic habet: *Supra Phaselidem* ὑπέρκειται τὰ Σόλυμα ὄρος, καὶ τερμισσὸς πισιδικὴ πόλις *Solyma sunt mons, et Termissus Pisidica Vrbs*. Rursus ibidem ait: *Termissus Pisidica Vrbs maxime, et proxime supra Cybiram sita*. Ex his rectam facilemque habes explicationem ad duos postremos nummos. Quod enim Pisidae, inter quos Termessenses numerandi, Solymum Jovis, et Chaldenae filium tanquam Conditorem suum agnoscerent; hinc factum, quod iidem Termessenses in tertio nummo ejus solidam, et expressam effigiem exhibuerint, addito etiam integro ejus simulacro in aversa parte, quod item editum cernitur in aliis duobus ejusdem Vrbis nummis apud Harduinum, et apud Eckhelium, in quibus tamen loco sceptri, clava haud recte describitur. Quod praeterea Termesso Vrbi adjacens esset mons Solyma, non iniuria inferes templum in eo extitisse Jovi consecratum, ex quo propterea eidem inditum cognomen COΛIMЄYΣ, ut in secundo numismate legitur. Atque istud quidem caeteris jam adjiciendum, quae de Jove ex nummis hactenus innotescunt, et ab Eckhelio simul collecta afferuntur D. N. T. IV

p. 529. Hujus effigiem Jovis habes in primo nummo, ut et in tribus aliis apud Pellerinium, Pop. II p. 149. Vrbis nomen varie effertur. In publica moneta communiter TЄPMЄCCЄΩN; sed in tertio nostro TЄPMЄCCΩN: apud Stephanum de Vrb. apud Ciceronem item, et T. Livium Termissus, et Telmissus. De quibus consule Spanhemium T. I. p. 563. In Pellerinianis ad caput Jovis additur Θ, in nostro Δ: quod utrumque commode explicari potest ΘЄΟC TЄPMЄCCЄΩN, et ΔΙΟC TЄPMЄCCЄΩN. De hujusmodi Termessibus majoribus Pisidis praeclara mentio extat in Tabula aenea apud Gruterum pag. D. quam vide, si lubet.

TEOS IONIAE

TH
IΩN In medio coronae ex foliis hederae contextae.
Gryphus sedens anteriorem pedem s. attollit. Duplex Ær. min.

Teos Joniae in Peninsula Anacreontis patria. Bacchi cultus apud hanc Vrbem celebratus, quod apud se natum hunc letitiae Deum persuasum haberent. Ejus etiam templum ibidem erectum memorat Vitruvius.

TEMNVS AEOLIDIS

THMNOC Caput muliebre turritum.
THMNЄITΩN Fortuna stans, cum attributis: ad pedem s. additur flos clausus. Duplex Ær. 3.

Exemplo aliarum Vrbium, Smyrnae praesertim non iniuria conjicere fas est, imagine turrita Amazonem designari, a qua Temnitae Vrbis suae originem ducerent.

Temnus mediterranea Aeoliae, sed non magni nominis. A Smyrnaeis Jovem Arcensem, Nemesesque in Civitatem suam recepisse nummi ipsi testantur.

TENVS INSVLA CYCLADVM

Caput Jovis laureatum, vel potius Neptuni.

T H
N I Tridens cum duobus delphinis, et infra in area balaustium. Ær. 3.

Caput imberbe Bacchi Jovis Ammonis fil. cum cornu arietino.

THNI Neptunus coronatus stans, d. delphinum, s. tridentem, in area balaustium. Duplex Ær. 3.

Alius, sed scriptum N I / T H Botrus, et tridens. Duplex Ær. 3.

Tenos Insula maris Ægaei inter Cyclades, Jovis Ammonis, ejusque filii Bacchi in moneta sua imagines expressit. Addidit Neptunum, ejusque symbola in aversa parte, et aliquando etiam serpentem tridenti involutum, quod non modo templum ei dicatum esset; sed etiam pro Medico in ea Insula haberetur, teste Clemente Alexandrino ex Philochoro. Inscriptio nummorum, modo THNIΩN, modo THNI, ut in hactenus descriptis.

TEANVM CAMPANIAE

Caput Palladis galeatum.

TIANO Gallus stans, retro astrum. Ær. 3.

Iste inscriptus latine, ut SVESANO, CALENO, AQVINO, qui sequitur lit. Oscis.

ЯVИNΛT Caput Apollinis laureatum s. vers.

Taurus humana facie a supervolitante Victoria coronatur. Intra tauri crura pentagonum. Ær. 3. Tab. XII. n. 131.

ЯVИNΛ.. Caput Apollinis laureatum, ut in praecedenti v. s. pone caput lit. O.

Aversa pars eadem cum superiori, nisi quod Victoria supra caput tauri, lauri ramum d. retinet. Ær. 3.

In hisce duobus secunda litera breviorem habet lineolam sinistram sic Λ, tertia caret lineola orizontali superne: reliquae conveniunt cum iconismo Pellerinii T. I. Pop. Tab. IX. n. 50. Idem dicito de simili, quem describit Eckhel. D. N. V. T. I. pag. 117. Meus autem uterque integritate praestat. Asserere oportet hujusmodi literas varie scribi consuevisse apud Campaniae populos, dum Osca lingua uterentur. Caeterum hoc tempore inter Numismaticos nullum jam superest dubium, quod hujusmodi nummi ad Teanum Sidicinum Campaniae referendi sint, id praesertim confirmante simili nummo apud Sestin. Descript. N. V. p. 14, in quo additur lingua pariter Osca SIDIKINVM. Apud Strabonem vero lib. V. legitur: *Teanum Sidicinum ipso cognomento ostendit se ad Sidicinos pertinere, qui sunt Osci, Gens Campanorum superstes*.

TEATE MARRVCINORVM

Caput Palladis galeatum, superne V. globuli.

TIATI Noctua capitello insistens. In area totidem globuli, ut in anteriori parte. Ær. 1.

Alius similis, dempto capitello. Ær. 1.

Caput Herculis leonis exuviis tectum.

TIATI Leo gradiens, supra quem clava, et in imo quatuor globuli. Ær. 2.

Teate Regionis Marrucinorum in Piceno primaria. Nummi singuli habent TIATI, sed apud vet. Scriptores *Teate* nominatur.

TRALLES LYDIAE

Caput radiatum, diadematum Apollinis, fluentibus retro capillis.

ΤΡΑΛ

ΑΓΙΟΙ

ΛΙΑΝΩΝ Victoria in bigis. Ær. 3.

Eximius erat Apollinis cultus apud Trallianos, eumque pariter capite radiato exhibuisse testantur eorum nummi apud Hunter, et Sestin. Novus vero, et peculiaris typus aversae partis Victoriae in bigis cum epigraphe ΑΓΙΟΙ ad sacros agones, ut puto, et certamina in honorem Apollinis instituta designanda. Nam vox ΑΓΙΟΣ pro sacro etiam ab optimis Auctoribus adhibetur, et apud hanc Vrbem ΠΥΘΙΑ certamina celebrata fuisse ejus nummi testantur.

Caput Jovis diadematum.

ΤΡΑΛΛ Bos gibbosus stans. Ær. 3.

TRAPEZOPOLIS CARIAE

ΙЄΡΑ ΒΟΥΛΗ Caput femineum velatum. Nomen ΒΟΥΛΗ scalpello vitiatum.

ΤΡΑΠЄΖΟΠΟΛΙ Cybele turrita stans inter duos leones, ad quos manum utramque demittit.

Trapezopolis Cariae mediterranea ad Meandrum, ut et Tripolis, quae sequitur.

TRIPOLIS CARIAE

ΙΕΡΑ CVΝΚΛΗΤΟΣ Caput Senatus.

ΛΗΤΩ ΤΡΙΠΟΛЄΙΤΩΝ Latona sedens, d. hastam transversam gerit. Ær. 2. Tab. XII. n. 132.

ΙЄΡΑ CVΝΚΛΗΤΟC Caput Senatus.

ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. In imo ΜΕΑΝΔΡΟϹ. Fluvius decumbens cum arundine in d., et urna ad latus sin., cui innititur. Ær. 1.

Alii quoque nummi sunt testes de cultu, quo haec Vrbs Cariae mediterranea Latonam prosequebatur, ut ejus etiam nomen sibi indidisset, alter item Pellerinianus de Meandro fluvio, a quo non longe aberat, idem confirmat.

TRIPOLIS PHOENICIAE

Caput muliebre velatum, et turritum.

ΤΡΙΠΟΛΙΤΩ.. In area L Γ. Victoria in navi stans, d. corollam. Ær. 3.

Capita Dioscurorum jugata.

ΤΡΙΠΟΛΙΤ.. Victoria in navi, ut supra, coronam gerens d. Ær. 3.

Caput muliebre turritum, et velatum.

ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ L A

I Σ Anno CCXI. Nemesis stans, vestem ante pectus elevat intra lauream. Ær. 3.

Idem iste cum eo Sestinii Descript. N. V. p. 535. n. 1. Ex utroque autem supplendi unus Pellerinii, in quo supererat tantum L A vitiatis caeteris duabus, alter apud Eckhel. Syll. I. p. 57, in quo L A

Σ sine nota I, quae in ipso autographo fuisse videtur. Caeterum, et ipse Sestinius cum Pellerinio emendandus; nam aversa pars, ut clare conspicitur in eo Eckhelii, et nostro, exhibet Nemesim, quae stolam ante pectus diducit, ut in nummis Smyrnae, de quibus paulo supra actum est. In Phoenicia tamen, et in Syria late sumpta vix aliud Nemesis exemplum invenies.

TVDER VMBRIAE

Caput Jovis.

ƎⴷƎ+V+ Sic retrograde scriptum. Aquila stans, alis expansis. Ær. 3.

Alius similis cum capite Mercurii, et scrofa cum suculis. Ær. 3.

Ex his, ut etiam ex iis Arigonii patet, lit. ⴷ non modo apud Oscos, et Samniticos, verum etiam apud Hetruscos, in usu fuisse, quod omittit Eckhel. in suo Catalogo D. N. V. T. I. pag. 122. Cum autem haec litera in hoc nummo idem exprimat, quod elementum R latinum, ita quoque accipiendum erit in nummo LADINOD Frentanorum, BENVENTOD Samnii, ut in meo legitur etc.

TYRVS PHOENICIAE

Caput Herculis Tyrii laureat.

ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ In area LE, et monogramma. Aquila navis gubernaculo insistens, hinc clava, inde palmae ramus. Arg. 1.

Alius, sed in area LK. N. Arg. 1.

Alius, sed in area ΓΜΣ, et ΚΓ. Arg. 1.

Haec pulcherrima argentea numismata nihil peculiare offerunt, nisi notas Catalogo addendas, quas exhibet Eckhel. sub hac Vrbe D. N. V. T. III. p. 380, et seq.

Caput Herculis Tyrii laureatum.

Ϯ Tyri monogramma clavae impositum. In area hinc notae PqB, inde totidem lit. Phoeniciae. Omnia intra coronam quernam. Ær. 2.

Caput Herculis juvenile.

ΤΥΡΟΥ

ΜΗ ΤΡΟ

ΠΟΛ ΕΩΣ

ΗΟΣ Lit. Phoeniciae. Clava in medio inscriptionis. Omnia intra coronam quernam. Ær. 2.

Caput Herculis laureatum.

ΤΥΡΟΥ

ΜΗΤΡΟ

ΠΟΛΕΩC

ΘΤ, et tres lit. Phoeniciae.

Clava Herculis. Ær. 2. Tab. XII. n. 133.

Tyrus Phoeniciae a Sidoniis condita opulentia, rebusque gestis Conditoribus suis longe illustrior evasit, deductis imprimis Carthagine, et Gadibus Coloniis. Æra in hoc, et plerisque aliis nummis autonomis propria notatur ab autumno anni V. C. Varr. DCXXVIII. Anni postremi, qui hactenus innotescunt, sunt ΗΤ ex Sestinio, ΘΤ, ut supra, ΑΚΤ apud Eckhel. iste vero Sept. Severi imperium attingit, a quo subinde Tyrus Colonia facta fuit. Plura vide apud laud. Eckhel. D. N. p. 382.

Caput femineum turritum, et velat.: retro palmae ramus.

ΗΜ

ΨΙΕΡΑΣ

ΜΗΤΡΟΠΟ Navis. Ær. 3.

ΛΕΩΣ

Alius similis, sed epocha ΔΙC. Ær. 3.

Caput femineum, ut supra.

ΡΓΜΨ

..ΡΑΣ Palma arbor. Ær. min.

Singuli quoque anni in sex praecedentibus nummis notati addendi Catalogo, quem exhibent Eckhel. D. N. V., et Sestinius Descript. N. V. p. 537. Notanda lit. C, et Σ, modo lunata quidem inscripta annis praecedentibus, quadrata vero etiam posterioribus, quamvis notae hae omnes ad unam eandemque Tyriorum peculiarem autonomiae Epocham designandam spectent.

VALENTIA BRVTTIORVM

Caput Apollinis laureatum: pone duo globuli.

VALENTIA Lyra Apollinis. In area astrum, et duo globuli. Ær. min.

Valentia Bruttiorum, olim Hipponium ad sinum maris Tyrrheni a Locrensibus condita. Livio teste lib. XXXV. a Romanis Colonia deducta Valentia inscribi coepit. Nummi, in quibus assis partes adiiciuntur ad hanc Bruttiorum Valentiam referendi, reliqui vero ad eam Hispaniae Tarraconensis, de quibus consule Florezium.

HYBLA MAGNA SICILIAE

Caput muliebre velatum, et turritum.

ΥΒΛ.... ΜΕΓΑΛΑΣ. Supple ΥΒΛΑΣ Bacchus tunicatus stans, d. diotam, s. thyrsum gerit, eique ad genua blanditur pantheriscus. Ær. 2.

Cum tres fuerint Hyblae in Sicilia, haec a duabus reliquis distinguebatur ΜΕΓΑΛΗΣ nomine, atque non longe a Catana in mediterraneis ad occasum posita erat. Dorvilius Sicil. p. 440 in similibus nummis legendum sibi videbatur. ΥΒΛΑΣ ΜΕΓΑΡΑΣ, sed in hoc nostro clarissime conspicitur vox ΜΕΓΑΛΑΣ, atque caeterorum lectionem, qui a Turremutio editi, confirmat.

VELIA LVCANIAE

Caput Herculis juvenile exuviis leonis tectum.

ΥΕΛΗ Noctua adversa facie stans; ad latus d. flos, sive ramus oleae inter duos pisciculos. Ær. min. Tab. XII n. 134.

Symbolum adiectum tridentis speciem offert.

Velia Lucaniae ad mare Tyrrhenum a Phocaeensibus Joniae condita, ejus opulentiam produnt nummi, qui magna copia supersunt, suntque miro artificio elaborati. Nominis originem explicat Servius in lib. VII Aeneid. *Velia*, inquit, *dicta est a Paludibus, quibus cingitur, quas Graeci* Ἕλη *dicunt. Fuit ergo Helia, sed accepit* διγάμμον V, *scilicet consonans, et facta Velia, ut Henetus, Venetus.* Aliam tamen interpretationem invenies apud Eckhel. D. N. Latini promiscue Veliam, et Eliam vocabant. Hinc Cicero Tusc. quaest. lib. II mentionem habet *Zenonis Eleatis*.

HYRIVM

Caput Palladis galeatum.

ΥΡΙΑ

ΤΙΝΩΝ Navis gubernaculum, et delphinus media in area. Ær. min. Tab. XII. n. 135.

Similem nummulum aeque integerrimum, ac nostrum a se visum Nemausi memorat Eckhelius D. N. V. T. I. pag. 142. Et quamvis illum inter eos Apuliae recenseat, merito tamen dubitat de certa ejus sede, et provincia. Et revera nihil habet commune nummulus iste, cum iis, qui inscribuntur ΥDΙΝΑΕ, vel ΥΡΙΝΑΕ, aut etiam ΥΡΙΑΝΟΣ, et ΥΡΙΕΤΕΣ apud Hunter, suntque omnes argentei, si unum Hunterianum excipias ex aere literis Hetruscis inscriptum, in quo sic ΥDΡΙΟΝ, ΥRΑΟΝ, de cujus sede propterea mihi valde dubitandum. Adde in his omnibus perpetuo constans unicum symbolum Minotauri. Consentit denique Eckhelius ipse ab Hyrium, vel Hyria haud recte derivari gentile ΥΡΙΑΤΙΝΟΣ. Haec itaque discrimina mihi argumento sunt, praeter fabricam, et metallum, nummum extra Italiam cusum fuisse. Et quoniam plures a Stephano de Vrb. extra Italiae fines *Hyriae* memorantur, eodemque nomine

appellantur etiam a Plinio Insulae Paros, et Zacynthus, in aliquo ex iis locis ab utroque memoratis, sedes hujus nummi statuenda videtur. Accedit hunc ipsum mihi constare, cum plerisque hactenus a me descriptis ex Joniae, proximisque Insulis advectos fuisse. Interim illum delineatum exhibere placuit, ut ejus veram lectionem confirmarem, quam Arigonius Tab. XI. depravatam in prima litera obtulit.

HYRIVM APVLIAE

Caput Palladis galea tectum, in qua noctua.

VDINAI Taurus humana facie stans. Arg. 2.

Lit. secunda D, ut paulo ante notavimus, ubi de nummo Tudertium dictum est, in iis Larini, Frentanorum, et Beneventi Samnii, accipitur pro R. Quare sine dubio legendum Hyrinae, quod confirmant alii plures editi cum lit. etiam graeca P, et a Plinio Hyrini populi vocantur. Praeeunte autem Ptolemaeo, Oppido Apuliae Dauniae maritimae assignandi hujusmodi nummi ad discrimen praecedentis, cujus hactenus incerta sedes, ut dictum est.

PHAESTVS CRETAE

Figura juvenilis explicatis alis, extensisque brachiis volatum arrepturus videtur, et utraque manu globum gestat.

ΦAIC

TIΩN Lupus gradiens. Ær. 3. Tab. XII. n. 136.

Phaestus ex typo adversae partis Vrbs, et locus fuisse videtur, unde Icarum a patre alis instructum ad vitandas Minois insidias ab Insula Creta fugam arripuisse fabulantur veteres Scriptores. Revera enim Phaestus sita erat in Creta, proxima ad mare, mediumque litus, quod Africam respi-

ciebat, non longe distans a Cnosso Minois quondam regia, ejusque Labyrinto celebri, ab eodem Minoa condita, teste Strabone lib. X, ubi addit Phaestum a Gortyna distantem fuisse LX, a mari stadia XX. Globi, quos in utraque manu retinet Icarus ad se ipsum volatu regendum positi fuisse dicendi erunt in hypothesi, in qua versamur. Sed de hujus typi conjectura judicet Eruditus Lector, de quo neque Pellerinius, neque Eckhel. quidquam attulerunt.

Caput juvenile nudum anepigraphum.

ΦΑΙ. Caput senile barbatum, superne ramus. Ær. min. Tab. XII. n. 137.

Similem exhibet Pellerinius Pop. T. III. Tab. CXXIII. n. 15, eumque merito ad ipsam Vrbem Phaestum refert. In hypothesi, de qua dictum est in praecedenti, non iniuria coniicies facie senili Daedalum, juvenili Icarum ejus filium in hoc nummulo exhiberi, quoniam una simul ab Insula Creta utrumque alarum subsidio, et ab Vrbe Phaesto fugam tentasse supra innuimus.

PHANAGORIA BOSPORI

Caput juvenile laureat: retro astrum.

..ΑΝΑΓ

..ΙΤΩΝ Arcus intermedius. Ær. 3.

Similis iste alteri, quem describit Cl. Sest. Epistol. T. III p. 1. ex quo supple in nostro ΦΑΝΑΓΟΡΙΤΩΝ. Ab eodem Descript. Num. Vet. pag. 232 additur alter ex Mus. Borgiano, eorumque ope emendat Musellii, et Arigonii errorem, qui legebant ΤΑΝΑΓΡΙΤΩΝ, restituitque tertium ab Eckhelio inter incertos rejectum Mus. Vindob. p. 289 n. 35, et Tab. VI, fig. 12. Dives ergo jam agnoscitur haec Vrbs in re numismatica, cui insuper certo addendi, qui cum eodem typo habent tantum ΦΑ apud Pell. vel ΦΑΝΑ apud eundem Sestin. Epist. T. IV. p. 100.

PHARSALVS THESSALIAE

Protome adversa Palladis galea insignis, sparsisque capillis cum clypeo ad humerum s.

ΦΑΡΣΑ. Vir in equo ferocitate exultante decurrens, dex. supra caput elata brevem virgam intorquet, qua equo minatur. Eum duo viri brevi, ac servili veste comitantur, quorum qui antecedit retro conversus equum respicit, et sin. elata ad cursum excitat; qui vero subsequitur lorum oblongum baculo infixum humero d. gestat: in extrema lori parte nodus, sive globulus adjectus conspicitur. Ær. 2. Vide Tab. V. num. 94.

ΦΑ in imo: superne pone equitem ΔΑ. Caput simile praecedenti, demptis viris comitantibus, et quod Eques brevem hastam, sive virgam a pectore humero dextro impositam retinet. Ær. 3.

Pharsalus Vrbs Thessaliae in Phthiotide, cujus nomen cruenta Pompeji clade, et Romanae Reipublicae interitu in exemplum de rerum humanarum conversione perpetuo memorabile futurum. In eo Pellerinii primo nostro fere simili Pop. T. I. Tab. XXVIII. n. 45. Vir, qui subsequitur caret lori symbolo, quod in isto clarissime cernitur. Ex eo autem, caeterisque symbolis, quae singillatim describenda duxi, jure conjicere licet Heroem aliquem equo insidentem designari. Videndus nummus Haymii Parte II p. 195. Tab. XXIII. n. 6. in quo equitanti nomen in imo adjicitur ΤΕΛΕΦΑΝΤ. Thessalorum studium, et peritia in domandis, regendisque equis ab ultimis usque temporibus maxime celebris extitit. Fabulati quoque sunt veteres primum Sonipedem in Thessalia natum esse, et ab incolis domitum. Inter praeclara denique facinora habebatur apud Thessalos *equos regere perite*, quod apud Euripidem ex Aegistho me-

moratur. De his plura vide apud Eckhel. D. N. V. T. II. p. 132. Hinc in hujusmodi nummis Heroem ex domitorum genere inter Thessalos celeberrimum, quem sibi Pharsalus vindicaret, agnoscendum potius putaverim, quam cum Haymio de aliqua victoria equestri cogitare, de qua nullum symbolum, nullumque vestigium in recitatis nummis occurrit.

Caeterum constat quidem apud Thucyd. Hist. lib. I mentionem fieri de Atheniensium expeditione adversus Vrbem Pharsalum suscepta, ut Orestem Thessalorum Regis Echecratidis filium in regnum reducerent, atque illud addi: Athenienses a Thessalorum equitatu prohibitos abire coactos fuisse, quin Vrbem expugnarent. Sed haec potius quam unius Pharsali, universae Thessalorum gentis, quae hostem repulit, victoria dicenda est, nec sibi uni propterea Pharsalus vindicare poterat. Qua tamen etiam admissa nihil ad binos a me descriptos nummos attinet.

PHARVS INSVLA ILLYRICI

Bina capita inter se opposita, imberbe unum, virile alterum.

ΦA Diota. Æ. 3. Tab. XII n. 138.

Nummos cum hac inscriptione ΦA, ac typo Diotae recte Neumannus Pharo Insulae maris Hadriatici vindicavit Pop. et Reg. T. I. p. 173. Iste cum duplici capite nondum editus. Erat Pharus alteri Insulae nomine Issae ejusdem tractus quam proxime coniuncta, ac veluti adsita. Dicendum itaque videtur duplex caput ad utriusque Insulae viciniam, ac veluti conjunctionem exprimendam insculptum fuisse. Suspicari etiam quis posset Aristaeum Heroem sub utraque facie exprimi voluisse; idem enim, ut nummi etiam testantur, modo imberbis, modo barbatus fingi consueverat. Porro eidem incolae Insularum Graeciae Europeae honorem

habebant, ut in Sicilia, a qua profecti tamquam Coloni eas in Insulas migraverant. Plura de Aristaeo videnda apud laud. Neumann. Quo ad diotam, quae in hoc nummo conspicitur Plinius maxime commendat Hadriaticas ob earum firmitatem, ac frequentes erant ejus generis officinae, potissimum apud Insulares, ut apud proximam Issum, ubi adhuc antiqua eruuntur vasa figlina ad similitudinem eorum, quae Hetrusca apellari solent.

Caput virile imberbe cum corona ex fronde aquatili, vel arundinea ornatum, et ad occiput cristatum.

ΦA Diota. Ær. 3.

Caput virile barbatum cum unico cornu in fronte laureatum, et cristatum.

ΦA Diota cum canaliculo in latere ad effundendam aquam. Ær. 3.

Vtriusque imagines a superiori diversae, suntque omnes barbarae, rudisque fabricae.

PHASELIS LYCIAE

Caput juvenile corona ex hedera ornatum forte Bacchi. ΣΑΜΙΣΟΗΣ.

A Φ retrograde. Pharetra intermedia cum taeniis. Ær. 3. ex Mus. Millingen.

Phanagoria Bospori Cimmerii, Pharus Insula Illirici, et Phaselis Lyciae ad fines Pamphiliae maritimae, nummos suos similiter inscribunt ΦA, vel etiam AΦ, et Φ. Phaselis potius anteponenda in hoc nummo, cum habeat magistratum nomine, ut supra: ΣΑΜΙΣΟΗΣ, quemadmodum etiam leguntur in aliis ejusdem Phaselidis ΕΥΚΡΑΤΗΣ, ΚΛΕΩΝΥΜΟΣ etc.

PHILOMELIVM PHRYGIAE

Protome Victoriae alatae, in cujus humero signum incusum cum aquila.

.. ΙΛΟΜΗΛ In imo ΝΕ..... Duplex cornucopiae, et in medio fulmen, supra vero lunae, et solis astra. Ær. 2.

Supple ΦΙΛΟΜΗΛ ex simili apud Pellerin., et Hunter. Eadem adversa imago in singulis, sed magistratus diversus, ut etiam ex initio in hoc nostro. Nuper quartum addidit Sestinius Descript. N. V. Sic quinque autonomis jam dives haec Vrbs Phrygiae magnae, Ptolemaeo, et Strabone testibus.

PHOENICE EPIRI

Caput Dianae sine epigraphe.

ΦΟΙΝΙ
ΚΑΙΕΩΝ Pilum hastae intra lauream. Ær. 3.

Ex Mus. Millingen.

Nummus iste integritate praestans merito in suspicionem vocat lectionem Cl. Eckhel. qui in duobus similibus sibi videre visus est ΦΟΙΝΙΚΑΠΕΩΝ. In nostro nitidum est Ι intactum, distinctumque ab Ε, ut nihil suspicari liceat de *Phoenicape* Vrbe, cujus nomen insolens plane, atque hactenus inauditum inter Geographos. Phoenicen Livius, Strabo, aliique Vet. in Epiro collocant.

PHOCAEA IONIAE

Φ.. ΚΕΑ Supple ΦΩΚΕΑ Caput femineum turritum.

ΦΩΚΑΙΕΩΝ in ambitu. Navis, supra quam Dioscurorum pilei cum astris. Ær. 3.

ΦΩΚΕΑ Caput femineum, ut supra.

ΦΩΚΑΙ

ΕΩΝ Lupus piscem arreptum discerpens. Ær. 3.

De aversae partis typo in secundo disputant Numismatici. Phocam piscem appellat Harduinus, quem arreptum tenet lupus. Ejus conjecturam confirmare videtur Stephanus scribens de hac Joniae Vrbe: *Phocaeam sic vocatam, quod multae Phocae sequerentur Conditores*. A Sestinio omnium postremo, ut de caeteris sileam, primus appellatur lupus aureus, praeda vero ipsius squalus canicula, quo ea maria abundare testatur.

PHOCIS REGIO

Φ Caput bovis adversum.

Aper dimidius. Arg. 3.

Licet unicum Φ scriptum offerat nummulus iste, ex utroque tamen typo certo infertur ad Phocidem pertinere, ubi totius Regionis nomine similes alii jam editi, modo una tantum lit. Φ, modo pluribus adlectis. Sita erat haec Regio ad sinum Corinthium, media inter Locridis, et Boeotiae populos.

CHABACTA PONTI

Caput juvenile galea acuminata tectum, fasciis retro dependentibus.

.. ΑΒΑΚΤΩΝ Pegasus alatus pascens, anteriorem pedem dex. elevans. Ær. 2.

Supple ΧΑΒΑΚΤΩΝ. Chabacta autem Ponti Vrbs fuit Amiso vicina, Strabone teste, media Irin inter, et Halyn. In Pelleriniano Suppl. I. p. 32. retrograde scriptum ΤΧΑΒΑ.. Eadem aversa pars etiam in nummis Amisi cernitur; caput autem fere idem cum eo Pellerinii.

CHALCIS EVBOEAE

Caput femineum cum corona ex duplici margaritarum ordine contexta.

XAΛ. Aquila serpentem depascens. Ær. 3.

Chalcis Insulae Euboeae Vrbs primaria. Vide ejus nummum in Augusto cum nomine Livii Proconsulis.

CHERSONESVS TAVRICAE

XЄPCONHCCO Diana utraque manu taedam gestat, prope cervus elatis anterioribus pedibus fugam arrepturus videtur.

Ex Mus. Millingen.

ЄΛ........ PXAC Taurus cornupeta v. s. Ær. 3.

Supplendum ЄΛЄVΘЄPAC. Similem fere Dianae figuram vide apud Hunter in Vrbe ΔΑΛΔΙΑΝΩΝ. Ad Chersonesum Tauricam spectat, quae se liberam nominat in editis nummis. In postrema voce subintelligendum nomen magistratus, ut legitur in aliis ΑΓΑΣΙΚ, EVΔPOMO etc. Diana, teste Mela lib. II. c. 1. Vrbem Chersonesum in peninsula cognomine, prope paludem Maeotidem condidisse credebatur, quae etiam Taurica dicta, quod ea regio, narrante Eustathio ad Dionys. v. 306. nomen a tauro traxisset. De titulo EΛEVΘEPAC testatur Plinius lib. IV. de Taurica scribens: a Romanis libertate donatam fuisse. Hinc habes explicationem de singulis hujus nummi anecdoti symbolis. Plura si lubet vide apud Eckhel. in libro, cui titulus Num. Vet. Scribitur nomen Vrbis non usitato modo cum duplici CC, ut supra.

Caput barbatum, laureat. Jovis, ut videtur.

XEP
ΠΟΜΙΣ Clava intermedia.

Ex eodem Mus.

Rudis est fabricae, atque huic Chersoneso videtur adscribendus.

CHIOS INSVLA

ACCAPIA TPIA Sphinx, pede sinistro anteriori prorae navis imposito.

ΧΙΩΝ ЄΠΙ ΑΡΧ ΠΡЄΙΜΟΥΔΙC Bacchus seminudus stans cum cantharo, et thyrso, juxta Apollo cum patera, et sin. demissa ramum gerente. Intermedia est ara ignita, et superne luna bicornis. Ær. 1.

ΟΒΟΛΟC retrograde. Sphinx sedens, pede d. prorae navis imposito.

ΧΙΩΝ. Heros nudus adversa facie stans: ex humeris dependet vestis, quae brachio sinistro advolvitur. Laeva baculo innititur, dextra demissa. In imo ad pedem dextrum galea. Ær. 2. Tab. XII. n. 139.

ACCAP... ΔΥΩ Sphinx alata, ut supra.

ЄΠΙ ΑΡΧ ΑΥΡ ΧΡΥCΟΓ... Υ ЄΠΑΦΡΟΔЄΙΤΟΥ ΧΙΩΝ. Heros stans, ut in superiori, una dempta galea. Ær. 2. Tab. XII. n. 140.

In similibus nummis apud Pellerin., Hunter, Catal. Theup., quos sequitur Eckhel. figura, quae in aversa parte cernitur pro Hercule sumitur; sed ex utroque hoc nostro illam de alio Heroe explicandam esse patet. Galea enim in primo, baculus in utroque sine ullo nodo, vestis denique, sive chlamys, non vero leonis spolia, ex humeris defluens symbola sunt, quae profecto nihil ad Herculem attinent. Peculiarem etiam habet ea figura capitis ornatum, ut in simili quoque Pellerinii, sed de qua nihil certi definire fas est. Apud Cl. Hunther hujusmodi nummi recte in iconismo delineati exhibentur Tab. 17. quamvis ex communi prejudicata opinione secus describantur.

ΚΑΥΚΑΣ

ΧΙΟΣ Diota in extremo acuminata. In imo navis gubernaculum.

Sphinx alata, pede utroque posteriori sedens: ante pectus clava. Ær. 3.

ΜΕΛΧΙ
ΧΙΟC Diota.

Sphinx alata sedens. Ær. 3.

Alius, sed magistratus ΠΤΟΛΕΜΑΙΟ. Ær. min.

Diota ad vinum Chium referenda a vetustis Scriptoribus celebratum. Plautus in curcul.: *Quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet Chium esse.*

ΧΙΩΝ Sphinx alata, d. pede diotam sustinet.

ΟΜΗΡΟC Homerus sedens utraque manu librum apertum sustinet, in quo minutissimis literis scriptum ΙΛΙΑC. Ær. 3.

Iliadis nomen in paucissimis scriptum nummum hunc commendat. Chius quoque Homerum sibi vindicabat, nec iniuria ex praeconio Theocriti, tum Pindari, et Simonidis, ut jam adnotatum invenies apud Eckhel. Sylloge I. pag. 39.

VRBES IGNOTAE VEL INCERTAE

Caput Æsculapii laureatum.

... ΣΚΛΗΠΙ

... ΩΤΗΡΟΣ Serpens superiori corporis parte, et capite erecto, inferiori cortinam Apollinis complectitur. Dupl. Ær. 2.

ΑΣΚΛΗΠ ..

.. ΩΤΗΡΟΣ Typus, ut in praecedenti, sed insuper ejus dorso insidet noctua. Ær. 2.

Hosce nummulos Cl. Eckhel. describit sub Vrbe Coo, sed merito addit, quod nulla Vrbis mentio in iis addatur in incerto manere utrum ad Pergamum, aut aliam etiam

Vrbem, in qua Æsculapii cultus vigeret, iidem sint referendi. Apud Hunter similis fere supra descriptis exhibetur sub praedicta Vrbe Coensi Tab. 21. n. V. Caput etiam Æsculapii cum aliis convenit ibidem delineatis. In uno ex meis noctua serpentis dorso insidet. Caeterum de Æsculapio cum titulo *Servatoris* ΣΩΤΗΡΟΣ mentio quoque habetur in nummo Epidauri, quem vide suo loco.

Caput Dianae cum pharetra, et arcu ad hum. s.

ꓕꓷOX·

ΠΟΙΗΤΟ... Binae arbores intermediae, quae cypressus

ΩΝΟ.. similitudinem offerunt, vel potius speciem quandam fascium consularium.

Caput idem.

ƐON

Π...TOVKA

XOPTΩ Typus, ut in praecedenti.

Videram olim similem apud Cl. V. Abb. Scoupy Gallum. Delineatum exhibet Sestin. Epist. T. II Tab. IV. n. 25. tum etiam innuit Eckhel. D. N. V. T. IV p. 164. Sed nihil ab utroque additur de symbolis, et epigraphe, et omittitur arcus, et pharetra Dianae. Lectio ex duobus integra emergit ΠΟΙΗΤΟΥΚΑ ΧΟΡΤΩΝΟϹ. Pietuca forte nomen Vrbis, ut *Pithecusa*, alias *Aenaria* Campaniae Insula notissima Plinio, Ptolemaeo, Straboni, aliisque memorata. *Peithesa* etiam Hetruriae, item *Pityusa*, quae postea Lampsacus dicta Vrbs Mysiae, etc. Sed de hac nostra altum silentium apud vet. monumenta, veteresque Geographos. Ob symbola pharetrae, et arcus Dianam exprimi dixi, Sestinius tamen lauream addit, quae Apollini convenit.

Caput facie decora, barba rigenti, et hemispherico pileo ornatum sine epigraphe.

NYA

ΚΟΣΙ In medio coronae. Ær. min. Tab. XXXIX. fig. 71.

Instituta comparatione inter imaginem hanc, eamque quam exhibent meus Vlyssis Ithacae, et alter Neumanni, maxime inter se consentire visae sunt, ex judicio etiam eruditi Millingen hujusmodi mercium amatoris eximii, tum egregii Francisci M. Avellinii, qui ob recens Commentarium in anecdotum Ariadnes aureum numisma, magnam de se expectationem fecit, eamque aliis de arte nostra edendis monumentis superaturum esse non dubito. Similis etiam apparet imago alteri, quae conspicitur apud Hunter Tab. XXXI. n. XIII, quo in nummo insuper additur vox ΙΘΑ.

Nihil autem repugnat, quod Vlyssis imago, quae in nummis *Ithacae* sine ejus nomine certo expressa conspicitur, in aliis etiam Insulis, quarum ipse Princeps extiterat, tum in exteris quoque, dissitisque Vrbibus exhiberi potuerit, nulla facta ipsius mentione. Romae in nummis Mamiliae gentis ejus figura cum propriis symbolis, et cane blandiente aversam partem occupat. Neminem latet quot ille peregrinationes susceperit, quae ejus fama, et quanto in honore habitus fuerit a singulis quibusque Populis, Vrbibusque, ut ab Vrbe Tampya Epiri, et apud Tarentinos, ex libro de admirab. Auscultationib. Aristoteles etiam addit ejus oraculum in Aetolia fuisse apud Eurytanas. Hinc mirum videri non debet, si pecunia quoque publica, sola facie non semel exhiberi meruerit. Vrbis nomen vel recto ordine, ut jacet ΝΥΑΚΟΣΙ, vel etiam retrograde scriptum intelligi potest ΑΥΝΚΟΣΙ, ut legitur in aliis nummis ΑΓΚΟΝ, vel ΑΝΚΥΡΑΣ, et ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ, promiscue per Γ, et Ν. De hac vero Insula, vel Vrbe nihil invenio apud veteres Geographos, sed quot quaeso nos modo latent Vrbium graecarum nomina, quae ex solis nummis eruuntur. *Nicosia* Cypri Insula a Geographis memoratur, Pandosia item Vrbs Epiri in Cassiopaea, et aliae, quae similiter desinunt. Haec tamen diversa, quae novis forte ex monumentis in lucem prodibit.

Caput muliebre v. d.

ΝΥΑ

ΚΟΣΙ In medio coronae. Ær. min. Tab. XXXIX fig. 73.

Hujus quoque integra, et incorrupta manet epigraphe, ut in praecedenti, quin ulla de recta lectione oriri possit suspicio. Capiti muliebri nullum adiicitur divinitatis signum, ut mitella Junonis, pharetra Dianae, galea Palladis etc. Judicent ergo Eruditi, quid de eo statuendum videatur. An de Penelope Vlyssis conjuge suspicari fas sit.

Caput juvenile fluentibus retro capillis v. d.

..ΕΡΑΠΙΠ

ΕΩΝ Caput bovis adversum infulis ornatum: supra caput literae vitiatae. Ær. 3.

Ex Mus. Millingen.

Ad Creticam Insulam spectare arbitror, ac deesse videntur in extremis quaedam literae, sed quomodo suppleri possint divinare non audeo. Nimium distat epigraphe a voce *Hierapytna*, quae in nummis scribitur ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ apud Hunter, et Pellerin. Quamvis apud Dionem lib. XXXVI scriptum inveniam hujus Vrbis nomen ΙΕΡΑΠΥΔΝΑ una dictione, ac neutro plurali, insuper in autographo post ΕΡΑΠΙΠ vestigia videre videar lit. Δ, ita ut legendum foret ΙΕΡΑΠΙΠΔΝΕΩΝ, sed abundat lit. Π secunda, et obstat lit. Ι pro Υ. Expectandus igitur magis integer, qui rectam lectionem exhibeat, tum etiam magistratus nomen in isto vitiatum detegat. Erud. Millingen legendum censebat ΙΕΡΑΠΙΠΟΛΕΩΝ.

CÆVA Caput juvenile galeatum.

MAC Centaurus anterioribus pedibus erectis, utraque manu supra caput lauri ramum ostentat. Ær. min.

In quibusdam Massiliae nummis apud erudit. Sanvincentium cum simili etiam capite galeato legitur MAC, ut etiam in meo suo loco descripto cum capite tamen muliebri. De nomine CÆVA quid statuendum sit mihi incom-

pertum. Typo aversae partis Centaurum victoria exultantem designari non iniuria coniicere fas est. Vnus ex iis *Mermeros* nomine celebratur ab Ovidio Metamorph. 12. his versibus:

Quippe pedum nuper certamine victor
Mermeros, accepto tum vulnere tardior ibat.

Caput Jovis laureatum.

VOITOΛΩq sic retrograde. Aper stans. Ær. 3.

Ex Mus. Cl. Viri Jacobi Biancani Bononiensis, nunc illius publicae Vniversitatis.

Genius alatus supra gallum stans, quem collo arreptum tenet, infra C. Omnia in nummi facie incusa.

Juvenis nudus genu sinistro cervi prostrati clunibus insistens, ejus cornua erecta utraque manu retinet. Ær. min.

In nummis Corinthi spectacula quaedam, viresque Herculis descripsi; sed haec diversa, et peculiarem interpretationem requirunt.

Caput barbatum.

ΣΑΚΙΑΚ, vel ΕΑΕΙΑΚ in medio coronae. Incerta lectio, et interpretatio. Ær. min.

Caput femineum laureatum.

NM Aper, et inter ejus crura duo globuli. In area superne O. Ær. min.

Vide Pellerin. T. I. Pop. Tab. VI. n. 35.

Caput juvenile laureatum.

DIKO Lupus, vel aliud animal parum dissimile. Ær. min.

Vide laud. Pellerin. eadem Tab. n. 37.

VANCISSV ONVD. Cervus erecto capite stans.

Clava cum taeniis dependentibus in medio laureae coronae. Ær. min.

ꓘRGA Caput muliebre diadematum, turritum cum stola ad pectus.

Equus gradiens, supra quem corona. Ær. min.

Edit. apud Pellerin. Pop. T. I. Tab. V. n. 6. Sed caput in meo est femineum, hinc de *Vergasillauno* Duce accipi non potest.

Caput virile laureatum.

SONLA. AST. Miles stans, d. elata, s. hastam, et ad pedes clypeus. Dupl. Ær. 3.

Caput Aethiopis v. d.

ꟿ Elephas stans v. d. Duplex Ær. 3.

Plures alios hujus generis nummos, qui sunt incertae interpretationis, et unam, vel binas tantum in medio areae literam exhibent, consulto praetermittimus, daturi fortasse alio opportuniori loco.

Atque hic de Vrbibus autonomis finis esto.



INDICES III

I

REGVM ET PRINCIPVM


II

POPVLORVM ET VRBIVM

III

RERVM PRAECIPVARVM

QVAE IN VTRAQVE SERIE CONTINENTVR



ADDVNTVR IN FINE TABVLAE

CVM FIGVRIS SELECTORVM NVMISMATVM

INDEX I

REGVM ET PRINCIPVM

INDEX II

POPVLORVM ET VRBIVM

INDEX III

RERUM PRAECIPUARUM


QUAE IN SERIE REGUM, ET URBIUM CONTINENTUR.

F I N I S


ERRATA CORRIGENDA

Pag. 8. lin. 25 Clamide	*Corrige*	Chlamide
P. 24. l. 14 COMMAGENE		COMMAGENES
P. 57. l. 1 PTOLAEMEVS		PTOLEMAEVS
P. 49. l. 15 ILLIRICI		ILLYRICI
P. 150. l. 27 ΜΌΣΚΟV		ΜΟΣΧΟV
P. 281. l. 5 ΓΥΝΝΑΔΕΩΝ		ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ
P. 336. l. 10 ΝΙΑΚΟΕΙ		ΝΥΑΚΟΕΙ

Tab. I




Tab. II





18
19
20
21
22
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
REX PTOL
ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΚΙ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ

Tab. III



41
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
42
43
44
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
45
46
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥ
47
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ
48
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥ
49
50
51
52
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
53
54
55
56
57
58


Tab. IV


59
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΔΠΡ
60
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
61
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ
62
63
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ
64
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ
65
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
66
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΣΙΔΩ
67
ΣΙΔΩΝ
ΘΕΙ
68
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
69
70
ΒΑΣΙ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
71
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
72
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ
73
74
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ
ΣΙΔΩ ΙΕΡ ΑΣΥ




Tab. VI


ΜΥΣΩ
ΑΒΒΑΙΤΩΝ
ΑΓΚΩΝ
ΑΜΦΙΣ
ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΣ
ΘΝΡ
ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ
ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΣ ΗΡΑΚΛΕΟΥΤΟΥ ΕΠΙΚΟΥΡΟΥ




Tab. VIII.




51
52
ΔΑΜΟ
ΣΤΡΑΤΟΣ
53
54
55
56
57
58
ΚΥΖΙΚ
ΗΝΩΝ
59
60
ΦΕΙΔΡΑ
61
62
ΤΟΣΑ
ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ
ΝΕΟΚΟΡΩΝ
63
64
ΕΥ
ΛΟΚΡΩΝ
65

Tab. LX



65
67
68
69
70
AESILLAS
71
72
73
74
75
76
ΘΕΟC
ΑΜΜΩΝ
ΜΥΤΙΛΗΝ
ΑΙΩΝ
77
78
79
ΕΠΙΦΑΝΙΑ
80
81
82
83

Tab. X




ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ
ΠΡΙΗΝΗ
ΠΟΛΛΟΔ
ΡΗΓΙΝΩΝ
ΒΕCΙΩ
ROMA
ΣΑΜΙΩΝ
ΣΑΓΑ
ΛΕΥΚΕΩΝ
ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ

Tab. XI


108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125

Tab. XII


126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142